


Nf  
554

R. H. C.

G. Z.

Ob. 95.





Sein Ehrenrath, hochweiser Herr  
berühmter Herr Johann Baptist  
Kathmann von der Stadt Ulm,  
dermalen meinem sonderlich  
vertraulichem Rath

Offenlich  
M. Johannes Blochius.

P E P L U M  
M I N E R U Æ  
Seu  
**ORATIO**

*Continens Historiam Vita & Obitus*  
ILLUSTRISSIMORUM PRINCIPUM

**IOACHIMI**

Sacri Romani Imperij Electoris:

ET

**IOHANNIS:**

Marchionum BRANDEBURGENSIUM

Fratrum, &c.

*Destinata Exsequijs*

**ELECTORIS:**

Celebratis Coloniae ad Spream VII. Kalend.

Februar.

ANNO M. D. LXXI.

*Cum ipsius exsuvia, ritu Christiano, Sepultura  
traderentur:*

*Defuncti Principis & Filij*

**IOHANNIS-GEORGII**

Marchionis Brandenburg. Electoris &c.

Confiliario

**CHRISTOPHORO MEIEMBURGIO**

autore.

MAGDEBURGI

Typis & Impensis IOHANNIS FRANCI

Anno M. DC. XXI.

*Magnificis*

Dn. CONSULIBVS,  
SYNDICO, CAMERARIIS, SENATORIBVS,  
UNIONUM MAGISTRIS; CENTUM-VIRIS,  
Civibus adeo singulis-cunctis

*Inclutæ VETERIS MAGDEBURGAE*

Consultissimis, Prudentissimis, Circumspectissimis,  
honoratissimis:

*Dominis, Mecenatibus, Fautoribus meis reverenter  
& officiosè colendis.*



Rationem hanc à tot annis paucorum manus terentem, oculos pascentem, sciendi orexin saturantem; in lucem reproduco. Reproduco; non mei lucelli conditione; non existimatiunculae meae spe augendae: harum enim neutra, quae Dei gratia, & Vestra Patres Conscripti benignitas est, indigeo tantopere, ut peregrini foetus supposito mendicatum ire cogerer. Ohe non!

*Tam non in tenero stat mi' i corde silex*

ut propriae securus industriae vicini pecoris vellera demetam. Quid igitur moverit me, ut palam sisterem, quod non erat meum? Augustissimi Brandenburgici Principis, Electoris Imperij Romani memoria; quam nostris postgenitis innotescere magis magisque oportere credebam. Vetera nostrae Urbis fata, quae civibus ob oculos versari plurimum interest. Speculum Latinae Orationis ad amussim erotundatum dictione non luxurianti, sed florulentum: quod ipsum contemplari quotidie Vestros Alumnos, Nostros Discipulos maxime refert. Haec, inquam momenta fecerunt, ut reproductam hanc Prudentissimi Homini de Sapientissimo Principe parentationem vellem. Ut id impune mihi liceret, Autoritatis scuto Vestrae hic submitto me, quibus alia mea studia omnia per placere defendique contra ociosos & malitiosos τὸ ἄετις & πᾶσι δᾶσ precor: Vobisque; Vestrisque; omnibus & singulis

REIPUBLICAE

Causam perpetuo faventem & invariabilem opto Civis Vester

FELICITATEM;

Magdeb. Vernis in flore nitentibus Horis. Anni M. DC. XXI.

M. & A. V. Obl.

M. JOHAN. BLOCIUS.





# ORATIO

I.



**S**ſi ſupra humana principes magnanimitate Reges habere aliquid peculiare ſibi & alijs videntur, quo ipſorum vigor auguſtior & veluti divinus in iſta gubernationis elevatione exiſtimatur: Tamen caſuum

Principes & Nobiles à Morte pauperibus æquari.

multiplicitas, & exitus, & incerti fines, infelix ſæpè pereundi modus, adverſæque interdum res hæc conceptam perſuaſionem falſam efficiunt, ut quo ad labeſ, aut accerſitas, aut fatales, aut denique quo ad mortis genus, ab infimis nihil differre, cõpertum ſit univerſis: In eo etiam nihil habere præ reliquis, quod momenta ſecuturi fati ( niſi interdum & rariffimè om̄ine aliquo veluti attoniti, ad incertum tamen caſum admoncantur ) prorfus ignorant: Unde pij mortales in ſublimiore gradu poſitis humanarum rerum eminentiam quandam merito quidem tribuunt, eamque caducam, inſtabilem & variam, divini verò, niſi infulſè, nihil arrogant.

...  
...  
...  
...  
...

Hæc ita per ſe vera & certa eſſe, uti nos nunc docuit repentinus, & ex improviſo eveniens caſus, quo nobis non ſine intimo cordis dolore, Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus JOACHIMUS ejus nominis II. Marchio Brandeburgenſis Sacri Romani Imperij Elector &c. Dominus & pater noster benigniſſimus, inclementi ita decernente fato, ereptus eſt. Cujus quidem doloris acerbitas eò major nobis fuit, quod inſperato nũcio pri-

Exemplo eſt Elector Illuſtriſſimus.

Cuius repentinus obitus quæ omnibus incutit dolorem.

A 2

US



us ipsius mortem, quàm morbum aut ægitudinem, finem vitæ quàm initium morbi rescivimus: Non quod ei ex hac acceleratione aliquid mali accidisse putemus, què multis crebrisque meditationibus de DEO eò perduam credimus, ut ad votum piè conceptum in rerum æternarum, & cælestium possessionem quasi quandam beneficio DEI positus, sine dubitatione cœlestia complectens, vitam cum morte commutârit, & pro harum ærumnarum tristissimis miserijs æternam beatitudinem reportârit receperitq;: Sed quod nos tam subita emigratione majore calamitate tanquam improvise malo affecti simus.

Vsitate Parentationis lenimento mitigandum.

Exemplum est lectorem inveniunt.

Opus arduum Oratori propter

Ad hanc aliquo modo ( si fieri potest ) leniendam mœsticiam, utque JOACHIMI de nobis per benignè & optime meriti manibus, honesto officio & grati animi significatione, parentemus, non abs re, neque à recepto more alienum erit, si de ipsius vitâ & gestis rebus aliqua, hoc tempore, quo defuncto exequiæ celebrantur ultimusque præstatur honos, dicamus, ne memoriam ipsius, non secus ac ille humana nunc reliquit, ingratis animis deposuisse videamur. Nec dubium est, ijs, qui optimum Principem, dum hîc potiretur rerum, observatione decenti coluerunt, ipsius non amplius superstitionis mentionem, quæ cum commemoratione multarum virtutum conjuncta est, gratam acceptamque fore.

Dicturo autem mihi de re præsentis, hoc est, de obitu optimi Principis, multa occurrerunt, quæ



ORATIO

3

& propositum remorantur, & inceptum impediunt, imò verò me totum ab opere revocant & abducunt:

causas non  
nullas.  
quarum.

Causæ dignitas, quæ non me, sed exercitissimum optimumq; oratorem requirit, qui facundia splendore id præstet, quod avidi & attenti auditores expectant:

1.

Rei magnitudo, quæ mihi immensitatem quandam ob oculos ponit, quam me nequaquam assequi posse, non invitus tateor:

2.

Præsentia eorum auditorum, quorum conspectus suâ gravitate & moesto oculorum fulgore, verecundè dicentem me non nihil turbare videtur.

Apparatus deniq; hi, ad declarandam animi interioris ægritudinè instituti, sic me movent pariter & terrent, ut præ animi angustia, quam vos quoq; lachrymis & gemitibus testamini, vix verba facere possim. Taceo interim quod in publico dicturus doctissimorum eruditæ celsuræ me subicere cogor: Ut non dicam, quid reliqui parum æquo iudicio amarulenter de me sint pronunciaturo, quod hanc dicendi provinciam susceperim.

3.

4.

Ad superiora omnia, vincit amor amissi parentis benignissimi, qui onus, quod ego quidem gravatè minus suscepi, ut aliqua ex parte voce testarer eum dolorem, quem vos in intimis præcordijs vix comprimitis, mihi leve reddit. Candor etiam vester efficit, ut mea tenuitas vobis non sit ingrata futura, etiamsi vestræ expectationi non latis fecero, nec satis pro dignitate dixerò.

Quæ leviores sunt  
causis.

1.

2.

A 3.

Postremo

4 O R A T I O

Postremò ordinum hujus provinciæ humanitas & benevolentia me erigit, & confidentiorem ad dicendum facit, ut haud dubiè veniam sperem, si præ luctus acerbitate, id quod concepi, ut decet non exposuero. Iniquis verò censoribus respondeo: Optimorum sanas sententias, & honestos labores in re qualibet malevolorū obtrectationibus prudenter & rectè præferri, faciliusq; longè esse judicare quàm præstare.

Ideoque  
tentandū  
ut dicatur  
& differatur  
de notis, quæ  
sunt.

Etsi verò permulta mihi occurrunt, quæ quidem præclarissima sunt, de quibus oratio institui justa posset: Tamen de vitâ & rebus gestis potissimum hujus Electoris nunc dicere convenit, per me fortassis non quidem, ut par erat: (Nam id mihi nō arrogo, quod peritissimo & exercitatissimo difficile & grave foret.) Nec enim de gloria tanti Principis aliquid dici posse scio, quin res ipsa per se sit longè major & altior: Sed ut vobis, qui pleriq; comites & spectatores fuistis, in memoriam & mentem revocentur, quæ ille sapienti & forti simul animo semper suscepit & perfecit. Nam hac ratione oratio mea fidem habitura est, & adulationis omnis expers erit. Harum enim rerum, quæ proponuntur, cum interfueritis, vos optimos judices & testes esse convenit.

Generis  
Marchio-  
num Bran-  
deburg. Il-  
lustritas  
ab Antiqui-  
tate.

Poterat autem principio dici de generis nobilissimi antiquitate: verum & id consultò prætereo, cum neminem mediocri historiarum cognitione præditum latere arbitrer, **F R I D E R I C U M** Burggravium antiquissimæ Zollerianæ familiæ, multis

# O R A T I O

multis ante Romanis, ut volunt nonnulli, alijs ta-  
 men aliud etiam censentibus, Heroibus nobilitatæ,  
 primam claritatem inter Germaniæ proceres intu-  
 lisse, qui RUDOLPHI Habsburgensis, seu a-  
 vunculi, seu affinis, cum alibi aliud referatur, bene-  
 ficio Norici castri ejusq; possessionis titulum & di-  
 gnitatem adeptus est, Anno Salutis humanæ  
 M. C. C. L. X. X. I. I. cum carente multis annis Ger-  
 mania Imperatore, eaq; distracta partium studijs &  
 Electorum votis, tandem ij Francophordiæ pera-  
 ctis triennialibus comitijs convenissent, ut Rudol-  
 phus ob res ubiq; feliciter & strenuè gestas Alphon-  
 so Castiliæ Regi, Romani Regis titulum abnuenti  
 post interregnum substitueretur.

è Zolleria-  
 nâ familiâ.

Rudolpho  
 Imp.

Norici ca-  
 stri titulus.

Commorabatur tum Rudolphus inter devi-  
 ctos & debellatos Helvetios in obsidione Basileæ,  
 cui Fridericus Zollerianus ex contiguis castris, pa-  
 ri dignitatis splendore, non solum familiaris; sed &  
 assiduus aderat, ita ut promiscua ferè esset ( uti in-  
 ter æquales, qui opinione virtutis nituntur, fieri so-  
 let ) alterutrius sine fastu ad alterum commeatio.

Obsidio  
 Basileensis

Allato verò Electionis nuncio ad Fridericum  
 cum Electorum mandatis, ut Rudolphum ad inau-  
 gurationem Aquisgranum Imperij nomine duce-  
 ret, depositâ modestè illâ familiari facilitate, quæ  
 utriq; antea communis fuerat, ad castra Rudolphi  
 accessit, & petijt aditum sibi concedi. Hanc con-  
 suetæ familiaritatis intermissionem admiratus Ru-  
 dolphus quæsit: cur internuncio ad accessum,  
 qui ipsi semper, fuisset liberrimus, nunc uteretur seq;  
 alieno-

Aquisgra-  
 num Impe-  
 ratorem  
 inaugura-  
 dorum  
 theatrum.

6 O R A T I O

alieniorem à pristina familiaritate ostenderet: Cui respondit singulari comitate Fridericus: *non licere sibi Romanum Casarem sine venia interpellare,* quem nunc primo ex decreto senatus imperij venerari, eiq; prospera ac felicia omnia precari cuperet. Hunc mox totius exercitus faustæ acclamati-ones secutæ sunt.

In hac communi omnium lætitiâ Rudolphus non tam allati prioris nunciij gaudium, quam Zolleriani festivam comitatem, ac fidelis obsequij in multis bellorum periculis assidui tamen liberali remuneratione dignam existimans, Ducatu Franciæ & possessione castri Norici eum anno post donavit, ac petijt, ut postquam alia major per Romani Imperij fines dignitas nunc non vacaret, tenuitatē hujus boni cōsuleret: Siquidem omnino cuperet in re majori ipsi, quæ plurimi semper fecisset, gratificari, ususq; est postea ejus, fideli opera in bellis gravissimis, quæ cōtra Bohemiæ Regem foelicissimè gessit.

Cœpereq; tum Austriaca & Zolleriana familiae uno veluti momento, dispari tamen incremento augeri & evehi, quæ perpetuo tenore, beneficio DEI hucusq; floruerunt, ut in alterâ Romani Cæsares, in alterâ præclarissimi Duces, qui publicæ paci ornamento, & rebus perturbatis præsidio essent, ad omnem posteritatem progeniti, orbi Christiano fervarentur, donec post multos annos Fridericus I. hujus JOACHIMI Ataus, Electoratus Brandenburgici dignitatem primum virtutis ergò, ob illustriâ fidei exempla Sigismundo Imperatori abundè exhibita, & fortiter navatam operam acquireret.

Hoc

Ducatus  
Franciæ  
donatus  
Friderico  
Zolleria-  
no.

Austriaca  
& Zolleriana fami-  
lia crescen-  
tâ pares.

Fridericus  
I.  
Electo-  
Brand-  
burgicus.

O R A T I O

78

Hoc verò sublato, cessit Electoratus successionis jure Friderico secundo, cujus tanta fuit excellentia, ut à vicinis Polonis ad regni fastigium fuerit accersitus, *tanta etiam imperandi cupiditatis moderatio ( rarissima profecto in magnis principibus )* ut modeste habenas Regni recusarit, Casimiroq; Jagellonio fratri Vladislai censuerit deferendas.

Casimirus  
Jagellonis

Proavus Albertus non solum possessione totius patrimonij vel provinciæ Brandenburgicorum conspicuus fuit & vicinis omnibus formidabilis: verum etiam ob res maximas præclare & feliciter gestas nomine Achillis Germanici præ reliquis Principibus ejus seculi maximus & celeberrimus fuit. Quod tamen cognomen peritia rei militaris partim civili sapientia & pacis artibus temperavit, partim disciplina Martem & studia literarum veluti pacis ornamenta colens: Ut puta qui non ignoraret *bello pacem parari, & partim cultura disciplinarum conservari & illustrari.* Hic Albertus ubiq; ferè pacificator & bellator, cum multa fortiter gessisset, & offensionum causas & compositionum remedia ex usu didicisset, saluberrimo & ad ipsius nominis celebritatem nunquam interituro consilio, autor & suasor fuit pactorum ( quæ hæreditaria vocantur ) familijs Saxonica, Brandenburgica & Hassiaca peculiarium: Non quod principaliter, aut in universum mutua successionis jus respiciant, aut deficientibus alijs, alijs successionem tribuant, ( Nam id solum inter Saxoniam & Hassiam Principes cautum est, ut, pereuntibus alterutris, provincia ad superstites deferatur: Brandenburgica verò familia

Albertus  
Elect.  
Brandeb.

Achillus  
Germanicus

Marte Arte

Pacta Hæ-  
reditaria  
Saxo-Brandeburg-  
Hassiaca.

B

IN

in hos casus nec recipit jus successionis nec trāsmittit, providentiā Romanorū Imperatorum haud dudē ita statuente, ne in unā eandemq; familiam duorum Electorum collata potentia superioribus formidabilis evaderet) sed ut potius perpetua pax in his latē dominantibus, & pari ferē potentiā imperantibus familijs, veluti propagata ad posteros unanimi concordia servaretur.

Tām autem ad omnes casus cauta & prudens pacta fuit cavendarum offensionū & mutui officij ordinatio, ut omnes nervos futuræ benevolentiae & publicæ quietis cōprehendere videatur: Testatusq; est hac sanctione Albertus, nō solū animi magnitudinē, quā etiam a felicissimis bellis lubens abstinuit, verū etiā exactæ prudentiæ, quæ posteris tranquillitatē allatura esset, efficaciam: Cū nō esset contētus officijs benevolentiae, quæ Principibus præstabat ipse; sed ea post sua fata immortalia apud hæredes esse vellet

Nondum enim erat tantā severitate, sicuti nūc interdita publicæ pacis perturbatio, major concessa & subditis & imperantibus vindicandi, aut per arma poscendi licentia, quæ inquietis & turbas sitientibus varias præbebat occasiones, imo & tranquillitatis amantissimis Principibus nō facile erat, vel infimi nobilis petulantiam coercere: Ideoq; ordine aliquo opus erat, quo omnes pariter tenerentur, quē tamen ab aliquo nisi magnæ autoritatis institui ridiculum videbatur.

Itaq; Albertus, in quē Principum ferē omnium animi conversi erant, autor talis ordinationis fuit, quæ pacem publicam & mutuā benevolentiam in his familijs, quo ad fidei & jurisjurandi religione fieri po-

O R A T I O 9

tuit, factam servavit, qua abolitis bellorum injurijs veterum offensionum memoria deleberetur, & non incerta pacis securitas feliciter sanciretur. Fuitque hoc non postremum ipsius operum, qui alias bello & pace florenti fortunam erat celebratissimus.

Nam ipsi, quae nunc praecidebantur, saepe causa fuerant susceptarum contentionum, sive datae sive acceptae fuissent. Nec enim unquam aestimato difficultatis periculo bellum recusavit, & semel motum ita perfecit, ut ipse adimeret alijs potius, quam de suo cederet.

Hujus porro Alberti consilio, & operam plurimum est usus Fridericus Imperator, non sine admiratione magnam imitatis & felicitatis, quam bello & pace pollebat. Ita ut suam auctoritate per Caesarem imperare vulgo crederetur.

Friderico  
Imperatori  
Intimus  
Albertus  
Achilles

Etsi vero post Albertum provincia Marchionum divisa est: Tamen omnia civilis bellicaeque virtutis aut literarum ornamenta, tanquam indivisa huic domui, ac veluti communia & propria remanserunt, ac a primis progenitoribus posteris indita, relicta fuerunt.

Nam sicuti Electores Brandenburgici ad culmen praeclearae dignitatis familiae sedentes, omni laude fuerunt celebratissimi: Ita gubernatores Franciae orientalis non minus inclyti fuerunt.

Francia  
orientalis,

Inter quos ad familiae conservationem & splendorem fortuna multiplicis sobolis procreatione Fridericum V. feliciorum effecit. Ut virtutes omnes sustentatae a pluribus per sese essent illustriores, & domus Brandenburgicae decus amplificarent.

Fridericus  
V.

Cum enim ex Sophia Casimiri regis Poloniae

B 2

filiae

Sophia Ca-  
simiri Re-  
gis Polo-  
niæ filia.

Prusis  
Ducatus  
Alberto  
accesit.

Albertus  
Achilles

Georgius  
Albertus

Georgius  
Casimiri  
Georgius  
Fridericus

filia, conjuge heroica suscepisset decem heroes fili-  
os, ij non solum connubijs, præfecturis, nobiliori-  
bus officijs, dignitatum possessione, & illustribus  
sepulturis, Castiliam, Galliam, Sabaudiam, Nea-  
polim, Romam, Livoniam, & multas Germaniæ  
provincias celebriores effecere: Verum etiam ex  
his Albertus Senior Prussiam opulentissimam regio-  
nem beneficio Sigismundi Poloniæ regis obtinu-  
it, & amplitudini Brandeburgicæ adjecit, servavit-  
que eam, cum benevolentia subditorum, quam  
clementi gubernatione sibi comparaverat, tum  
militari disciplina. Quæ virtutes ejus id merentur,  
ut & memoria ipsius summa cum veneratione con-  
servanda, & posteris ejus à subditis fidei obsequio  
colendi & à cæteris Germanis remotioribus pro-  
pter irruptiones motusq; septentrionales, quibus  
ab ipsis primò resistendum est, veris laudibus hono-  
req; sint celebrandi. Ipse vero Albertus virtutum  
suarum veram & vividam memoriam in filio ut no-  
mine, sic & animi generositate simili, reliquit. Qui  
verò ex his fratribus aut coelibes, aut ante maturam  
ætatem, aut deniq; in sterili matrimonio obierunt,  
hos omnes subditi paribus lachrymis luxere, quod  
masculam prolem, quæ majorum virtutis esset hæ-  
res & æmula, nullam habuissent.

Georgio porrò in Franciæ Orientalis ducatu,  
sublato Alberto Casimiri filio, solus **GEORGIUS  
FRIDERICUS** filius successit, qui pro familiæ di-  
gnitate decus suam obtinet & tuetur gnaviter.

Hunc Albertum Achillem secutus est Johan-

nes



O R A T I O

II

nes Elector, cujus multas & varias virtutes ac res fortiter gestas, cum ijs nostrorum temporum historiae sint refertae, referre nunc non libet, ne justum tempus excedat oratio, neve illustrare aut repetere videamur ea, quae ab alijs copiose exposita sunt.

Iohannes  
Electoꝝ  
Brandeb.

Ejus vero tanta fuit facundia, insigni sapientia condita vel fulta potius, ut tres potentissimi & bellicosissimi Reges Vngariae, Bohemiae & Poloniae admiratione virtutis ejus non parum flecterentur.

Cum enim inter se contenderent de Silesiae possessione Matthias Huniades, Ungariae, Ladislaus, Bohemiae, & Casimirus Poloniae Reges, ac adductis instructissimis exercitibus eam provinciam hostiliter invaderent, & Hungarus jam Uratislaviam occupasset, obsidente eam Casimiro, non incerto metu perculsi Germaniae Electores Ernestus Saxonicus & Johannes Brandenburgicus, nec non alij principes, utrisque valido comitatu obviam Uratislaviam usque ire, ac interposita sua autoritate suafores pacis ambobus fuere, offerentes officium aequali jure de ipsorum controversia dijudicandi: hac addita comminatione se monitis oporterant ac conditiones recipienti, si alter justo saevior aut inquietior foret nec se flecti pateretur, protinus accessuros.

de Silesia  
contentio  
nes Regum

Ernestus  
Electoꝝ  
Saxoniae,  
Iohannes  
Brandenburgicus.

Nam principes fortissimi & prudentissimi nolebant Germaniam exteris armis turbari, aut eorum metu in periculum conjici: Cum rarissime vana soleat esse formido vicine potentiae immodicae, etiam non ladentis; sed tamen ad nocendum facilis. Ob

B 3

id

id videbatur ipsis periculum imminere, si aut rebus compositis inter sese adversus Germanos cō-juncta potentia coirent, aut ex mutuis cladibꝫ uno attrito alter victor evaderet, & per *insolentiam, quam res secunda pariunt*, ferocire inciperet.

Cum verò Huniadem à principio minus tra-ctabilem reperissent, descensum est ad decreti exe-cutionem, sed prius tentata actio, quam Johannes Elector tam aptè, graviter & disertè suscepit, ut in conspectu trium hostilium exercituum, & potentis-simorum Regum sibi oculorum acie & dexterarum fortium elatione excidium minitantiū, per aliquot horas ad universorum tractationem & intimam re-conciliationem perorans, omnibus opinionem de se faceret, non potuisse hanc actionem ullius alte-rius judicio aut sapiētia, splendidius, gravius aut fe-licius, vel etiam simili facundia proponi aut peragi.

Cumq; à multo abdomine proceri corporis ad labores & exercitia, non solū minus habilis esset, verū etiam ad propriam detestationem eo preme-  
retur, & incusaret sæpius ex ea parte naturæ infelici-tatem, ad eamq; sublevandam molem inusitatae cu-rationis rationem, qua sibi abdomen non sine præ-sentissimo vitæ periculo subduceretur, aliquando instituisset, tamen, cū natura mox suppleret arte ascitā gracilitatem evaderetq; obefior, hanc ipsam impotentis corporis gravedinem moderato animo patienter ferre cœpit: & magno solatio, in locum invisæ exercitij & rerum gerendarum facultatis, habuit, quod propter singularem prudentis animi  
cum

Johannes  
Elector O-  
rator di-  
sertissimus

Corpulen-  
sus

R A T I O

13

cum in omnibus summis deliberationibus, consilium ab eo, veluti non obscuro vate, peteretur.

Qualis verò fuerit pater JOACHIMUS I. vel inde constat, quod filios sui similes, hoc est, sapientia & præclaris virtutibus exornatissimos, nobis reliquerit. In quibus quales fuerint ipsorum majores, emicuit; cum latis in ipsis singulari DEI numine tam corporis quam animi bonis.

Joachimus I.

Cum enim pater cum alijs de causis, tum verò *exacta eloquentia (quæ humilis conditionis homines gratos facit Regibus & viris principibus, ipsis vero principibus divinum vigorem tribuit)* conspicuus esset, ita ut in communibus comitijs Imperij Principes tale de eo judicium facerent, ut ipse reliquorum nomine, ad augendum Imperij & majestatis decus, de rebus arduis præ reliquis etiam doctissimis peroraret: filios quoque ex eâ parte beatissimos & admiratione dignos reliquit, qui tamen huic decori & naturæ ornameto, præter artes pacis & belli, cognitionem cælestis doctrinæ non vulgarem addiderunt.

Nato itaque bono omine & felicibus auspicijs JOACHIMO II. sapientissimus pater, infantis adhuc vagientis indolem ac generosæ frontis pulchritudinem lætabundus aspiciens, vates magnanimitatem filij recens nati certo omine prædixit, cum amplissimos spiritus in eo rimaretur, & ad admirationem usque deprehenderet.

Joachimus II.

Egressus infantia annos, in qua utrique parenti plurimum delectationis, heroica comitate ex naturæ judicij prorumpente, attulerat, disciplina

D. Funccij  
us Ictus.

disciplinæ D. Funccij Jurisconsulti traditus fuit: Ubi ob præclaram indolem bonitatemq; ingenio Principis convenientem, etiam sine assiduitate tantum profecit, ut coæquales suos principum filios discendis literis & mentis acie facile vinceret & antecelleret, coepitq; tum immaturo adhuc ob ætatis imbecillitatem iudicio, de rebus, ad quas senatum sciebat, sic cogitare, ut inter æmulos virtutis & ætate pares imperare videretur: Sed ita, ut in rerum tractatione non torvitas, non odiosa acerbitas, sed animi alacritas & insignis comitas appareret.

Albertus  
Marchio  
Brandeb.  
Electo-  
Moguntin  
Primas  
Germaniæ  
Cardina-  
lis.

Erat tum cum Electore ALBERTUS Brandenburgicus frater, qui postea Electoratu Moguntinensi & Primatu Germaniæ præter Cardinalitiam dignitatem illustrior factus est: in quo etiam emicuit virtus Brandenburgicis peculiaris, dilerta videlicet prudentia. Sed cum incidisset in ea tempora, quæ mutationem Religionis secum trahebant gravem, & abdicatâ politicâ gubernatione sacrorum bonorum dignitatibus implicaretur, concurrentes undiq; difficultates heroicas & Principe dignas virtutes ad obscuritatem quandam demerferunt.

Is JOACHIMI adolescentis indolem ad regia quæq; propensam ac instructam penitus intuens, ita fuit eo oblectatus, ut continuè ferè eum detineret, & quotidianâ lectione & professione sacrorum scriptorum jure non solum in latini sermonis cognitione erudiret, verum etiam propositis ipsi ea  
in

in ætate sacris dictis, crescenti postea ingenio & ætati causam & ansam præberet, ut ille piâ & assiduâ meditatione ad naturam eximiam & illustrem adjungeret confirmationem cœlestis doctrinæ, multaq; Religioni necessaria scrutaretur: Sicuti sæpè meminimus dicentem & prædicantem hanc Cardinalis primam assuefactionem sibi ad ulteriores progressus causam præbuisse & animum incitasse.

Cùm instruxisset animum literarum initijs, quæ ipsi ad summam aliquando gubernationem necessariæ & ornamento essent futuræ, quibus Principes ad usum rerum publicarum, ad imperij habenas, ad honorem, gloriam & dignitatem assuefuerant & accenduntur, vix Adolescens, (Nā virtus ætatē superare, eamq; majorē efficere cæperat) profectus est cum patre in aulam Maximiliani Cæsaris, qui verè fuit exemplar Imperatoriarum virtutum bello ac pace, domi ac militiæ: apud quem propter suavitatem ingenij & morum, naturæque præstantiam & comitatem gravitati decenter junctam, quod multa Joachimus præ se ferret, quæ ipsi Imperatori propria & innata videbantur (uterque enim fuit natura lenissimus, profusè liberalis, & decoris amantissimus) penè fuit in admiratione. Ob quam convenientiam virtutum, in Maximiliano quidem senescentem, at in Joachimo efflorescentem tantus exarsit amor, ut non dubitaret optimus Imperator Joachimo neptem ex Philippo filio despondere, ut foceris & generis præstantia in prolem utriq; similem propagaretur. Acta est itaq; res præ-

C

ter

Maximilianus  
Imperatoris  
Majestatis  
Speculum.

Joachimo  
neptem de  
pondet,  
sed frustra

ter morem sine internuncijs, ita ut Joachimus ipse Imperatorem accederet & exponeret, quæ inter Cæsaream Majest: & parentem suum de neptis desponsatione acta essent eis sese acquiescere, & si Majestas ipsius nunc hoc se connubio dignaretur, præstó se sponsam expetere.

Mortis in-  
terventu /

Ad hæc Maximilianus benignè respondit: Meminisse se, quæ acta essent, seq; eodem amoris ardore ipsi neptem, quo ille peteret, auspicijs Sacrosanctæ Trinitatis despondere: Sed iniqua fati vis conjugij consummationem, immaturâ morte ablatâ sponsâ, Joachimo invidit: Qui tamen nequicquam acerbitate fatalis casus motus fuit, nec à fide & benevolentia Austriacorum unquam recessit.

Hæc igitur sic gesta fuere: & quidem patre sic consentente atq; volente: Quem cum ad omnia comitia aut comitaretur, aut in ijs patris suppleret vi-ces, omnibus ferè interfuit deliberationibus publicis & rerum maximarum consultationibus, quæ animum ipsius adeò erudierunt, ut ad præclarâ naturæ excellentiam usus accedens, omnes facilè ad singularem observantiam devinciret.

Georgii  
Saxoniz  
Ducis filia  
edidit  
Iohannem  
Georgium

Cùm pervenisset ad virile robur, post amissam sponsam Infantem Hispaniæ, ex judicio paterno contraxit nuptias cum filia Georgij, Ducis Saxoniæ inclyti Principis: ex qua ad firmissimam successionis spem JOHANNEM GEORGIUM, quem nunc divinâ benignitate Electorem colimus, præter

præter Fridericum Archiepiscopum Magdeburgensem, & Barbaram Georgio Lignicensi & Brigenfi Duci nuptam suscepit. — sed & hoc matrimonium, quamvis felicissimum, duriore fato diremptum fuit.

Fridericus  
Archiepi-  
scop. Mag-  
deb.  
Georgius  
Lignic. &  
Brigès Dux

Itaq; superstiti parente adjecit animum ad Sigismundi Poloniae Regis filiae Hedvvigis nuptias. Ejus enim Regis amicitia nequaquam ex affinitatibus Bradenburgicorum recens, apud omnes Europæ principes spectabilis & appetenda apparebat: cum propter augusti senij felicitatē, quæ in diuturnæ pacis conservatione Regem in suo Regno florentiorem & beatiorem, Res vero per Legatos gestæ vicinis formidabilem fecerant, unde spes esse poterat immensæ aliquando in periculi casum conjungendæ potentia: tum, quod & pater & sponsus filius ex Friderici V. & proprio cum Barbara priori ex Polonica matre prognata, matrimonio peracto meminissent Polonici sanguinis desponsationes Brandeburgicis non esse infaustas.

Hedvvigis  
Sigismun-  
di Poloniae  
filiae nu-  
ptia.

Nec tamen hæ nuptiæ ex pari voto integra læticia celebratæ fuerunt, abrumpente institutæ festivitatis solennitatem JOACHIMI patris obitu, à cujus exequijs ad adorationem nuptiarum, quas pater decedens nihilominus accelerandas caverat, itum est: Ita quidem, ut JOACHIMUS filius uno ferè tempore Electoratus & sponsæ præstantis, compos fieret.

Joachim  
obitu

C 2

In

Religionis  
& Ortho-  
doxiæ fer-  
vor

In primis statim accepti Imperij annis, cum passim ubiq; fierent rituum mutationes per Germaniam, quantum ipse profecerit & intellexerit in tractatione negotiorum religionis, ex eo facile constat, quod nihil veritus suæ provinciae Ecclesias ad justam divini verbi normam, quo ad doctrinae summam, reformari voluit: permisso quidem iudicio Theologis quibusdam, sed ita ut & ipse simul fuerit inspector, in ceremonijs praesertim. Quae omnia cum peculiari libro comprehensa ad praecipuam tum autoritatis Theologos vicinorum Principum misisset, consensum ab his in illa, quo ad doctrinam quidem, plenè ac indistinctè, quo ad humanas verò traditiones ritusq; distinctè & certis interpositis conditionibus fuit: cum quidem Albertum Cardinalem patrum, & soceros duos Georgium Saxonem & Sigismundum Poloniae Regem dehortatores, & antea habuisset, & tum etiam ex parte haberet, qui non solum non putabant dignitatis esse suæ, longo ævo receptam religionem inducta mutatione evertere, quam longè majores everfiones secuturas iudicabant, verum quantum in ipsis erat, omnia studia & conatus ad Romani Episcopi dignitatem conservationemq; rituum Pontificiorum severè inclinabant. Hos inquam ille non veritus, eorumq; minas & obtestationes spernens, reliquis in rebus omnè obsequij & officij genus amanter praestans, cum caelestia humanis arctius complectenda statuisset, suam subditorumq; salutem Regum & propinquorum benevolentiae pio & Christiano animo praestavit.

Dum



Dum in his versaretur rebus, quæ toti ferè Europæ fatalem mutationem attulere, in publicis etiam Imperij Reique publicæ Christianæ negocijs summa cum laude versatus est, hunc animum ad eorum tractationem afferens, qui gloriæ, præterquàm quæ cum Religionis splendore & publica commoditate conjungeretur, minimè appetens esset.

Inde sapientiæ laudem promeruit, quæ omnia magna & difficilia feliciter & dextrè conficere posse credebatur, quam & ipse modestè sineq; omni arrogantia aut superbo fastu amplexabatur & colebat: sic ut eam omni amplitudini à divini numinis clementia ac liberalitate abundè sibi concessæ, veluti summum divinitus datum bonum, anteferebat, ac pleniorē dulcedinem consequeretur ex ea, quàm ex omnibus divitijs & Regijs opibus, aut imperandi potentia, cujus potis erat.

Nec enim DEUS, à cujus benignitate omnia proficiscuntur & pendent, creato homini unquam aliquid præstantius elargitus est corde sapiente, quod non solùm ad gubernationem rerum publicarum & privatarum profuit, sed & cum cognitione ipsius Dei ejusq; verbi patefacti in vera fide arctissimè conjunctum fuit.

Solon septemvirali Græciæ sapientiâ & conditarum Legum nomine illustris hunc felicem affirmabat, qui ex virtute rectè ageret, & rebus externis mediocriter abundaret.

Lysander Lacedæmonius, cum ad Cyrum secundum Darij Nothi Persici Regis filium accessisset,

Sapientiæ  
eius splendorBeatitudo  
vera Philo  
sophica

set, virtutum ipsius cum ditionum amplitudine convenientiam admiratus, exclamabat: Rectè quidem, Cyre, beatum te esse omnes opinantur. Amplissimæ enim fortunæ tuæ virtutem etiam conjunctam habes.

Si hic virtutum chorus in regiam potentiam collocatus, ex sapientissimorum virorum judicio, suos possessores beatos effecit, quæ tamen virtutes omnes præterquam morum & gubernationis rectrices nihil erant: Quanto magis Joachimus, qui ex sapienti præscientia & cognitione rerum divinarum jam futura felicitatis sempiternæ initia præsentiebat & gustabat in hac vita, & quasi communicato cum D E O sapientiæ fructu, res verè bonas intelligebat & amabat, beatissimus & veluti Divorum consortio hic obambulans adscriptus dici potuisset.

Fortitudo  
& aliæ Vir-  
tutes Ele-  
ctore di-  
gnæ.

Hanc sapientiam comitabantur non solum, sed etiam uti propriæ & innatæ apparebant virtutes salutaribus gubernatoribus necessariae: Fortitudo animi, amor & protectio subditorum, ordinatio judiciorum, sanctio legum, punitio scelerum, amor virtutis ejusque præmiorum constitutio, honesti & turpis discretio, alterutriusque vel severa coercitio, vel eximia laudatio, munificentia & liberalitas magnanimis Regibus semper propria.

Abhorrebat ab *adulationibus*, utpote quibus *plura everterentur regna quam armis.* Non ad-

mitte-

mittebat deferentes calumnias & mendacia, sed eos ex secreto oderat. Contemnebat accumulatas opes veluti *sape incitatrices dissensionum civilium & odiorum*, suæ gubernationis fundamentum & præsidium in benevolentia subditorum reponens.

Et, ut paucis dicam, erat ipse imago virtutum omnium, quæ ad benè beateq; vivendum homini concessæ fuerunt. Imprimis verò erat pacis amantissimus, quam ipse vicinis omnibus, dissimulatâ interdum injuriâ, sanctissimè præstitit non solum, verum etiam in componendis Principum dissidijs quæ violationem quietis, aut aliquid incommodi secum trahere videbantur, maximè sedulus & fidus administrator fuit, in interioribus animi recessibus dulcedinem adamatæ pacis complectens, nec obscure intelligens, pacem optimam rerum, quas homini novisse datum esset.

Pacis studium

Sinebat ille, cùm prohibere aut animos coherere non poterat, alios indulgere odijs, iræ, cupiditatibus vindictæ, exercere funesta arma, mutuis cladibus sese conficere, adducere in discrimen provincias & propria capita. At suâ Marchiam ita rexit, ut nō tantum eâ splendore ædificiorū & ornamenti potentia decorârit, & civili modestia ac humaniore conversatione cultiorem reddiderit: Verum, quod summi & præcipui beneficij loco est, vereq; patris patriæ muneri cōveniens, nemo tenuioris sortis aut fortunæ agrestis unquam horridi militis trucem inspexit vultum, nec, à militibus profectas urbiū villarūq; conflu-

Marchia / patria insignite amplificata

conflagrationes vidit, nec ullum denique hostilis violentiæ onus, quod libertas & impunitas ferociæ militaris addit, persensit.

O felix beatumq; seculum pacis aureæ, quod providentia Joachimi patriæ & provinciæ curavit & servavit. Nulla profectò dies, dum hominum genus has incolet terras, absq; ipsius memoria erit: & posteris, quibus hæc prædicabitur tranquillitas, vel qui eam ex annalibus percipient, grata erit hujus felicitatis recordatio, & immortale hujus principis nomen, eoq; magis, quod nos meminimus & posteris non ignorabunt, hoc ipso tempore longè maximam Germaniæ partem nobis vicinam, intestinis bellis ad multorum interitum & funestum exitum, turbatam fuisse: Quoq; magis periculo vicini fuerunt, eo magis vigilantiam & prudentiam Joachimi admirabuntur, & honorifica quæq; de ipso pro hoc tranquillitatis studio loquentur atq; prædicabunt.

Bellandi  
peritia

Etsi vero Joachimus per sese, uti dictum est, pacificus & exemplar boni Principis in pace erat, tamen ideo à justis nunquam abhorruit armis, utpotè qui ex naturæ generoso instinctu intellexerat, & ex gubernationis casibus didicerat, *Magistratui belli & pacis artibus opus esse, & bello quidem servari pacem stabilem ac confirmari.*

Ab intestinis verò & civilibus bellis, quibus turbari solent publica & everti privata, semper fuit alienus. Non enim inde parva gloria vix unquam tanta fuit, nec Trophæa tam honorifica posita, quin majus esset etiam jucundissimæ victoriæ incommodum.

Ita

Itaq; Joachimo patre laudatiss. Principe ad huc superstite, prima militiæ rudimenta in Hungariâ posuit, cum Solimannus Turcicus Imperator, adductis quadraginta myriadibus sævissimorum militum, Austriacorum possessiones invasisset, sui que adventus terrore Europam omnem complevisset, & ipsum Imperatorem CAROLUM V. provocasset.

Solimanni  
in Austria  
excursus

Tum enim cum duobus millibus equitum, nomine provincialium superioris Saxonie Imperium sustinens, adjunctus Philippo Palatino, non solum cruento prælio ad Leopoldium vicum inter fuit: verum etiam interfecto Turcarum Duce Casono, reliquias foedè fugati exercitus ad interneccionem deleuit. Quo facinore edito charior cœpit fieri Carolo, jam ante eum ob spectatam indolem singulari favore complectenti: virtutis & rei fortiter gestæ ergò equestri cingulo, quod conferri solet strenuè militantibus, donatus est. Et post hanc primam expeditionem tanta de eo apud universos fuit opinio, ut postea Imperator declarandus singulis videretur, cujus auspicijs & consilijs arma Turcica reprimerentur.

Philipp.  
Palatin.  
Leopoldi  
Casonus

Eques E-  
questris  
Cinguli

Erat enim in Joachimo, etiam vix majorenni, ad multas animi dotes Majestas virili decore ornata, quæ intuentium mentes occulto quodam amoris affectu ad se alliciebat. Ita ille tum honore militiæ, famâ rei benè gestæ, & opinione militaris scientiæ onustus, ad patrem sibi talem filium gratulātem, redijt.

D

Neq;

Soliman.  
Ottoman

Neq; illud, quod tacito iudicio comprobaba-  
tur, planè irritum fuit. Decennio n. pòst, cùm idem  
Solimannus Ottomannus, multis in universo pe-  
nè orbe reportatis victorijs & trophæis ubiq; ferè  
positis, insolentior & ferocior factus esset : Expu-  
gnatis in Peloponneso Christiani Imperij urbibus :  
Cæso fugatoq; Persarum Rege, Thaurisioq; regiã di-  
reptã : Babyloniã captã : Cæsare in Africã insigni  
clade affecto : Lusitanorum in Indiã rebus pertur-  
batis & afflictis : Venetis bello laceffitis, Cephale-  
nijs atq; Zacynthijs captis : Corcyrensibus obses-  
sis : Expeditione adversus Italiam susceptã & felici-  
ter tentatã : bello Veneto renovato : Nauplio &  
Epidauo expugnatis & receptis : Nostris in Hun-  
gariã per scelus Catzianeri foedè cœsis : Cretã inva-  
sione turbatã : Et Barbarussæ hostili classe Christia-  
norum maria ubiq; infestante : In sinu Arabico per  
Morum Alexandrinum & Eunuchum multorum Re-  
gulum fortunas secundis prælijs evertentem : In  
valdè difficili bello Hungarico, quod Ferdinandus  
cum viduã Johannis Sepusij gerebat, misso ad per-  
nitiam nostram præsidio : Ad Budam Hungariæ cla-  
de nostris illatã : ipsãq; Budã captã : cùm insuper à  
purpuratis Turcicis nunquam esset acrius consul-  
tum aut conclamatum contra Germanos : & Ger-  
maniæ rebus ex Hungariæ occupatione ob vicinita-  
tem detrimentum non vulgare metuendum, a deo q;  
imminere jam videretur :

Vocatus tùm fuit Joachimus decreto Procerũ Impe-  
rij ad gubernationis militaris fastigiũ : Quod ille a-  
more

O R A T I O

25

more patriæ, spretis difficultatibus & periculis omnibus, pro gloriâ Dei Christi, non recusavit, sed suscepit fortiter.

Joachim<sup>9</sup>  
iterum bel  
li Dux  
generalis

Etsi verò Barbarus ipse, contumaci fastu spernens religiosa arma, in interiora Hungariæ tùm nō venit, sed Sophiæ consedit, rebus periclitantibus, si casus ita ferret, maturam opē laturus; Tamen selectissimo misso exercitu ita Budam Regni arcem communiuit & instruxit, ut testimonio omnium gentium, quæ tunc confluerant, (In queis MAURICIUS Saxonix Dux quoque erat, & specimē fortis animi, præ reliquis, Germanâ generositate dignum non sine maximo vitæ periculo ediderat) impossibile videretur aliquam spem delendi hostis aut capiendi propugnaculi rationem iniri posse, nisi beneficio Dei opt. max. partâ concordia, totius Christiani nominis auxilia & opes in unum justo tempore & ordine cogherentur. Non tamen hac extremâ difficultate se superari Joachimus passus est, quo minus omnia munera vigilantissimi Imperatoris sedulò subiret.

Buda

Mauricius  
Saxonix

Quàm multiplicibus verò impedimentis ipsius tunc pium propositum fuerit retardatum, impedita etiam susceptæ expeditionis felicitas, vel inde satis constat, quod nec copix, nec stipendiorum sumptus aut planè non mitterentur, aut non justo tempore; Ita ut commodissimū æstatis tēpus nihil agendo prolaberetur; miles cujus *virtus in exsolutione stipendij consistit, eo que suscitatur & accenditur*

D 2

cenditur



*ceditur*, imperio minus obsequens esset : Cumq; in Germaniâ tum bellum motum esset principum voluntates & subsidia in ejus belli eventum & propriam securitatem, neglectis rebus Hungaricis, distinebantur. Quæ mora Reipublicæ Christianæ tunc non levem attulit calamitatem.

Nec deerant, qui æstimarent hanc cunctationem à multis consultò ad invidiam Joachimi susceptam. Cùm enim metuerent, ne ad priore Pannonico bello acquisitum decus, novus honos & gloria rei benè & feliciter gestæ, supra Imperij militaris nomen, ipsi accederet: verisimile erat, multa eos, etiam cum communi omnium periculo, conatos, quibus cœpta Joachimi vel in limine felicitatis (uti sæpè antea magnis accidisset Imperatoribus, qui præcisis nervis, destituti speratâ ope felicitatem conficiendorum negotiorum hac solâ ratione amisissent) impedirentur.

Cùm itaq; munitiones Turcicas ob invictum & exquisitum robur militare, ipsis eripere non posset, hoc præstitit, ne ipsi factâ impressione progresserentur, servavitq; Ferdinandi fines in Hungariâ à latrocinijs, vastationibus, incendijs & sævitia barbaræ gentis tutos.

*Et si verò alias illa animi vis, quæ in Duce strenuo & acri requiritur, & ex cadibus humanis ex assueto conflagrationum aspectu & multis violentiæ generibus facile acquiritur, animi moderationem contemnat & aspernetur: Et ob id eveniat, ut raro, qui bello præstantes sint, boni itidem in pacis gubernatione*

one



*ono habeantur*: Tamen Joachimus ad suos ex medio armorum strepitu reversus, retulit animum nequicquam ferociorem redditum, sed sibi planè similitimum. *Natura enim bonitas adscitâ immanitate ad durabilem aut perpetuum habitum nunquam aut rarissimè mutatur.*

Itaq, suis benignè imperavit, querentibus regiâ virtute faciles præbuit aures: & in ipsâ rerum necessariorum administratione honestâ usus est, & Principe dignâ voluptate, à magnificentiâ nobiliû ædificiorum laudem, & venationis exercitio valetudinis quærens rationem. Subditi autem aureæ pacis fructus securissimè perceperunt, quibus etiam largâ manu ad lenitatem Imperij nunquam defuit. Nam liberalitatem non circumscripto modo aut ratione magnitudinis beneficij, aut muneris, aut certarum personarum, sed profusè in omnes exercebat. (Frugalitatem enim & parsimoniam inter regias virtutes numerari non volebat) Cùm ille largitione stipendiorum & ingentiû præmiorum profusione, non solùm provinciales subditos & ex Senatorib. quosdam, quorum opera & cōsilio usus fuisset, locupletes faceret; reliquis verò, quibus se aliquid præstiti fidelis officij causâ debere fatebatur, gratissimi animi significationem per benignè promitteret: verùm etiam vicinas gentes sibi devinciret & conciliaret.

Conversus tandem ad munificentiam, memoria defuncti parentis, veluti instauratoris, honorificam,

D 3

ficam,

Liberalis  
Joachimo  
in omnes

ficam, sibi immortalem, posteris gloriosam & toti provinciae splendidam & utilem, Academiam Francophordianam amplissimis sacrorum reddituum bonis locupletavit, & stipendia alendis bonarum artium Professoribus auxit, ut ibi non solum ad totius patriae praecipuum & verissimum ornamentum bona & praecleara ingenia liberalibus artibus exculta ad virtutem accenderentur & educarentur, sed etiam ut esset veluti perpetuum praesidium Ecclesiarum, Curiarum, Scholarum & totius gubernationis Ecclesiasticae, unde & Politicae, perpetua ac solidam successione non secus ac ex certissima penultima disciplina assumerentur, qui patriae & vicinis praesentibus utque ibi sacrae doctrinae pura professio expertis omnibus assiduam tractatione asservaretur & ad posterum transmitteretur.

Haec summa bona, antea quidem patriae comparata, ille conservabat & clementi liberalitate adjuvabat; Et, ut scimus omnes, etiam senectus onus sustinens, operam nonnunquam dabat, ut intestina dissidia, quibus Academiae conciderat nomen, tollerentur: nisi quod inchoatae telae, quo minus perrexeretur, alia obstiterint impedimenta.

Sicut autem necesse est, ut, cum ab incepto praestanti opere artifex eximius decedit aut avocatur, non nisi a simili aut praestantiore id ad consummationem perfectam perducatur: Ita quoque tu Illustrissime Elector, pro muneris tui amplitudine, clementiam erga subditos & pia observantiam in DEUM, qui pro-

pagatione doctrinae coelestis, & conservatione bonarum literarum colitur, huic tuo supremo decori & ornamento patriae, in eo, quod tibi à patre relictum videtur, ad immortalem tuam memoriam, extremam lineam feliciter addes, & efficies, ut ritè compositis rebus Academia sub tuo imperio reflorescere incipiat.

Incidit paulò post in interioribus Germaniae visceribus bellum, quo vix unquam aliud gravius aut atrocius exarsit, quo multorum fuerunt exercitus trucidati, captæ urbes, profligata copia, fortunæ everfa, provinciæ vastata, & ad conficiendum feliciter bellum, capto demum Duce, victrices aquilæ à remotissimi Oceani occidentalis gentibus citrà Albim prolatae.

BELLVM  
GERMA-  
NICVM

Antequam illud inferretur, JOACHIMUS à vicinis de foedere iciedo interpellatus, sed frustra, tentatus, suavor, monitor, hortator tam sedulus multis fuit, ne temerè suis fidentes rebus fortunam Cæsaris periclitarentur, ut illi obtestationibus ejus non nihil offensi, parum amico animo ob pacis suasionem & foederis recusationem incum esse viderentur.

Joachimus  
dissuasit

Cùm verò cerneret, frustra se niti persuasione tranquillitatis, & intelligeret, Augustam Cæsaris Majestatem, quâ colendâ, conservandâ & amplificandâ ille nihil unquâ habuerat antiquius, hoc bello offendi

Cæsari o-  
pem & sup-  
petias tulit

auxi-

Iohannem  
Georgium  
filium

Iohannes  
Marchio

Ioachim<sup>9</sup>  
Pacificus

Iohannes-  
Fridericus  
illo usus

auxiliares copias Imperatori misit, quibus JOHANNEM GEORGIUM filium, nunc Dei beneficio rerum potentem, præfecit, ut ille juvenili alacritate & rei gerendæ cupiditate magnum militiæ decus præ se ferens, hoc bello pro Cæsaris incolumitate primum pugnaret. Quem Imperator benignè acceptum laudatumq; , ac ob fortiter navatam operam equestri dignitate auctum, post pugnam, qua hostes deleti erant, patri iterum remisit. Fuit etiam Johanni fratri, per se Principi fortissimo, & Cæsaris observantis. suator, ut eo in bello auspicia Caroli sequeretur.

Cum verò ad eam calamitatem ventum esset, ut hostes Cæsaris profligati in victoris manus traderentur, JOACHIMUS, qui ante hanc cladem prædixerat, nihil offensus priore denunciatione aut irritâ fidæ admonitionis repulsâ, à lenitate generosi animi non recessit, quò minus apud iratum Cæsarem omnia suscipet & tentaret, quæ ad profligatorum & captorum Ducum salutem, conservationem, prosperitatem necessaria esse videbantur.

In his negotijs conficiendis, molliendâ victoris iracundiâ conciliandisq; Imperatori Principibus, qui hostium socij fuerant, tanta ad Imperatorem erat JOACHIMI autoritas, industria, diligentia, ut, quicquid ex Imperatoriâ Clementiâ sperari poterat, id omne ex fide, benevolentia, officio, prudentiâ & felicitate ejus pendere perturbatis devictorum animis appareret: Ita ut & JOHANNES FRIDERICUS, qui nequaquam antea ob dissuasionem

suasionem belli cum ipso consenserat, in ejus humanitate autoritateq; apud Cæsarem veniam sibi reconditam arbitraretur: Sicuti gravi oratione per Eustachium Slibium habitâ, & captiui conjugem ad Imperatoris pedes deprecabundam provolutâ ipse adduxerat, ejusq; causam luculentissimè Cæsari victori commendârat. Hoc intercessore haud exiguam experti sunt Imperatoris clementiam Anhaltini Principes cognati, cum Hispani, Itali, & Germani, inculantes admissi culpam, de eorum ditionis possessione pari cupiditate contenderent. Tenuioris etiam conditionis rebelles gratiam Imperatoris ad ipsius intercessionem tunc & postea adepti sunt.

Eustach.  
Sliben.

Anhaltini  
quoque  
Principes

Inerat enim Joachimo supra spectatæ proceritatis regijque corporis decus, generosæ frontis honos, ad omnem congressum sine superbiâ omnibus pariter venerabilis & gratus, naturati vigore, prudentiâ excellens, & singulari facundiâ admirabilis, quam tractatione summorum negociorum & definitionibus controversiarum per totum ferè Romanum Imperium sibi confirmârat & auxerat, ut non solùm Imperator sapientissimus & ex arcano argutus ejus sermonis urbanitate & decenti gravitate comitati, tamen proxima duceretur: Verùm reliquis omnibus admirationi esset. Instituta quoq; fuit in castris ad VVitebergam per Joachimum & Mauricium Landgravij reconciliandi actio, quem Mauricius cupiebat uti socerum salvum, & Joachimus ad Cæsarem graviter excusabat, quod ex

VViteber-  
gensis re-  
concilia-  
toris actio

E

Philippi

Philippus  
quo pacto  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Halæ Sa-  
xonum  
Halsiaca  
actio ad  
Cæsarem.  
Anton Pe-  
renottus  
Atrebaten-  
sis Episco-  
pus

Landgra-  
vius cavés

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippus  
ad arma  
venerit

Philippi secretioribus querelis non obscure sciret, eum potius comminationibus & importunis obtestationum coactionibus, ex foederum interpretationibus, ad id bellum vel invitum tractum, quam sua sponte aut ad spretæ Imperatoriæ Majestatis contumeliam ad id descendisse. Cùm verò Imperator hanc actionem planè reijceret, antequam factus delictum admissum, supplici deprecatione id coràm expiasset, tùm quidem nihil aliud tentatum fuit.

Igitur transmissio Albim exercitu ad Salinas Saxonicas Cæsar profectus est: ibiq; denuò actio Halsiaca urgeri cœpta, quæ ex consensu Cæsaris, inter nuncio tamen Antonio Perenotto Atrebatensi Antistite, ita duobus Electoribus commissa est, ut si se sisteret Philippus ad Cæsaris pedes supplex veniamq; precaretur, ex clementiâ Cæsaris in gratiam utriusque intercessoris fore, ne aliquo carceris genere gravaretur, additis alijs nonnullis capitibus, de munitionibus diruendis, pendendâq; pecuniæ summâ multæ nomine.

Hæc ad Landgravium delata, levia quidem apparuere, sistendi verò sese incautam temeritatem periculumq; altius considerans, non antè in id cōsensit, quàm uterq; Elector promissorum certam fidem sibi faceret.

Cùm verò anxijis cogitationibus Philippi hanc rem extrahi ad majorè Cæsaris exacerbationē & difficiliore postea compositionē Electores cernerent, rescripserunt: Non debere eum, qui securioribus consilijs à principio belli inniti noluerit, in secundis demū, quæ illi pro mutuâ benevolentia & conjunctione

one

one erga ipsum apud Cæsare suscepissent, adeò cautè subdubitare, verù potius, quantù possit, ad benignâ Imperatoris voluntatem experiundâ adventû accelerare: Ne verò moræ quicquâ accedat ulterius, se rei præstandæ conficiendæq; uti antea perscripissent, vades tã liberis quàm provincialibus fore.

Ad hæc nihil celerius expedit Philippus, quàm ut cōfecto itinere se Neoburgû, post Lipsiam conferat: Inde q; ab utroq; ad Salinas accersitus altero die medijs in urbem deducitur.

Cumq; Cæsari, qui conclauere reliquis majus cū universis Proceribus ad augustiorē Majestatis speciē occupârat, sisteretur, ac veniã supplex precaretur, Imperatoriâ severitate neq; alloqui eum, neq; oculis spectare iustinuit, clementiæ verò signa prorsus nulla edidit, cū eū Joachimus Elector jã diu satis in terrâ prostratû blãdiore murmure assurgere jubet. Inde ad hospitû paratû utroq; Electore Comite ductus, & vespere ad cœnã ab Albano Duce in arcē vocat, est simul cū Mauricio & Joachimo Electoribus. Ibi cū hilariter Landgravius inter cōvivas reliquos, recreato ex supplici deprecatione & Albani Ducis cōvivio tãquã gratiæ signo, animo, cœnatus esset, assurgentibus ad discessû omnibus pariter, ipse ex Atrebatensis denunciatione, mādante sic Cæsare, manere jubetur, statimq; cōclave amplû & honorificû, quod ingrediatur, addito satellitio custodiæ causâ, ipsi mōstratur. Etsi verò ab Electores ad improvisæ rei nūciû obstupefacti, non obscure fidei suæ fraudē fieri querebantur, & obnixis precibus simul & gravibus obtestationib; urgebāt aulæ præcipuos Proceres, ut

E 2

monerent

Philippus  
Halam ve-  
nit

Dux Alba-  
nus

Atrebatē-  
sis custos  
Philippi

Albanus  
Dux viola-  
tor juris  
hospitalis.  
Atrebatē-  
sis fraudu-  
lentus.

monerent Cæsarem, ne quid indignum Imperatoriâ clementiâ & fide interpositâ ad fugillationem integritatis tam intercedentium & spondentium, quam suæ admitteretur: cum expressè cautum esset, ne Philippus adveniens seq; sistens aliquo carceris genere detineretur: Tamen vel indignabundi & iustâ iracundiâ trementes, non aliud efficere tum potuerunt, quam ut inculato Albano Duce, qui violato hospitalis mensæ jure eum detinuisse, & Atrebatensi Antistite, non integrâ fide se deceptos, palam testarentur. Hanc tamen fugillationem Albanus ita diluebat, ut, quicquid actum esset, id omne ad mandatum Cæsaris, cujus imperio regeretur, referret, eâq; ratione se ad omnes facilè excusatos arbitraretur, qui rectâ ratione judicarent, summo belli duce & Augusto Cæsari omnino parendum, nec se ad alieni facti responsionem teneri.

Atrebatensis verò, cujus in reb. bellicis non erat tanta autoritas, callidiore ratione usus, factum Cæsaris ita excusabat, ut de vi illatâ fideq; violatâ injustè eos conqueri insolenter diceret, cum ex formulâ pacti, quâ Philippus supplex factus fuerat, manifestè constaret, eum non quidem nullo, sed perpetuo carcere non detinendum, vafre invertens germanæ locutionis perspicuitatem, quæ in his verbis *Einig & Ewig* est, ut pro nullo carcere perpetuum diceret.

Ita chimæ  
illustis ex-  
candescit

Urgebant hæc spondentium Electorum animos, eoq; tum processit Joachimus, ut hanc Episcopi perfidiam propriâ manu vindicandam (cum tamen



tamen aliàs á sanguinibus alienissimus esset )sibi sumeret, nisi á Mauricio & reliquis lenitâ iracundiâ fuisset retractus. Cû verò tûc, nec postea aliquid impetraretur, hæc Atrebatensis vafricies Mauricianis armis, nec non aliorum principum, suo tempore fuit vindicata.

Atrebatensis vindiciæ

Post partam victoriam Saxonicam, cujus celebritate nomen Cæsaris augustius redditum erat, devictis ijs hostibus, quos in intimis Romani Imperij medullis Imperialem dignitatem convellere conatos fuisse Cæsariani inculabant, quorum everfis dominationibus jam planè compos factus fuerat, cum vel invitis omnibus, nec quicquam resistere ausis, de summis Religionis capitibus ex animi libidine & severè statuere potuisset, nihilominus tamen á benignitate clementiq; ratione Carolus se abduci passus non est, sed convocatis Imperij statibus Augustam Vindelicorum, & frequenti senatu, & rerum gerendarum gravitate, celeberrima comitia peregit: in quibus ex temporis ratione, ante universalis concilij definitionem quid INTERIM de Religionis summâ fieri vellet, proposuit. Ibi cum persuasione Pontificiorum multa, quæ minimè ferenda essent, & nostris tantum, non item Pontificijs servanda promulgarentur, discessum est tacitis offensionib. à compositâ formulâ: Vnde nonnulli palám damnârunt hoc præscriptum, & in his ipsis comitijs rejecerunt, in quibus MAURICII Electoris & Johannis Brandeburgici piâ professione nihil veretium Cæsaris indignationem par constantia & fidei sinceritas fuit.

Augustana Comitia

INTERIM

Mauricius & Johannes Brandeburgici constantes

E 3

JO-

Marchia  
Lutherana  
Religio  
salva

JOACHIMUS verò, ne libri Augustani sanctis ad diversam mutatæ religionis famam, quæ leviter excitata de ipso erat, implicaretur, secundò obtinuit à Carolo confirmationem suæ multò antè promulgatæ constitutionis, & paulo prius à Luthe- ro, Melanchthone, & alijs præclari nominis Theo- logis approbatæ: quæ quidem confirmatio in Ar- chivis publicis adhuc asservatur.

Hæc ideò recitata sunt, ut singulis Historiæ ve- ra fides constet, & ut Joachimi assiduitatem in o- mnibus negocijs, quæ divina & humana concer- nunt, gratis animis consideremus, & precemur illi beatitudinem, quam ille in terris pro dignitate summi numinis & salute mortalium omni conatu promovit.

Augusti  
Comitatus

IMPERII

Et si enim constitutione caverat, qualis deberet esse ordo sacrarum rerum in suâ provinciâ, eaque constitutio autoritate Cæsaris in omnem mutatæ in posterum Religionis casum esset confir- mata, ut ipse & subditi sine conscientia offensâ & metu violentæ mutationis securè quiescere possent, tamen ne ulli humanæ rei, unde gloria Dei major fieri & pax certior stabiliri posset, defuisse videretur, & odio haberet contentiones, per quas aut Religio turbaretur prorsus, aut animi hominum implicarê- tur, qui antea perpetuo vitæ tenore pacificator or- bis fuerat, conciliator Dei & hominum tum esse am- biebat.

Philippi  
liberatio  
urgetur

Comitatus

Inter has de libello Augustano contentiones non remittebant Electores Sponsores, quo minus de liberatione Landgravij, instigati & conscientia interpo-

interpositæ fidei & provincialium Hassiæ, filiorumq; deniq; Philippi importunis tandem interpellationibus, meditarétur (quamvis Joachimushæc omnia à fide & benignitate Cæsaris adhuc expectaret) donec occasione ejus rei præberet belli Magdeburgensis exitus. In quo avertendo cum à principio multū laboraret Joachimus, & desperatā reconciliatione illud postea urgeret maximè, nō alienum erit à narratione rerum gestarum ipsius, id astrictā brevitate recensere.

Joachim<sup>o</sup>  
dis suadet  
Bellum  
Magdeburgense

Coeperat & hæc urbs iisdem propemodum temporibus religionis nomine multa mutare, exclusis nobilioribus sacerdotibus aliquotq; cœnobijs direptis, & vicinis oppidis, quæ Antistiti parebant, occupatis. Ob id commorante in castris ad VVitebergam Cæsare, nihil omninò certius fuit universis, quam ut *Magdeburga*, quæ vel segni totius exercitus traductione triduo accedi poterat, obsideretur. Ea enim in Saxonia ad Albim sita, vallo fossaq; munita, nihil tam expectabat, quam superbientium Hispanorum totiusq; exercitus vim experiri, ne quicquam ad tantæ nuper acceptæ cladis nuncium vel amisso Duce perterrita, urgentibus Cæsarem præcipuæ nobilitatis Canonicis.

Magdeburga  
obsidetur

Canonicis  
urgentibus

At Carolus certior factus etiam summæ æquitatis conditiones, quibus ijs pax concedi posset, frustra proponi (Nam feciali missis cibo & potu interdixerant insolenterq; responderant) & quantis omninò possent viribus & animis, arma & commeatus parari, munitionemque vel maximo exercitui perfringendam difficilem institui,  
qua

premun-  
tur

quâ & tempus extrahi facile & peregrino militi incommodum accedere posset.

Copiæ item protestantium non omni ex parte profligatæ & multa inter nondum confirmatos principes contingere possent, quæ vel cœptæ obsidionis conatus remorarentur aut impedirent: Censuit omninò suæ dignitati rectius consuli, si patriâ tantâ victoriâ non dubius Triumphator devictæ magnæ partis Germaniæ decederet, quam eâ aliquâ dedecoris labe inter tot incommoda defœdaret.

Suscepit itaq; profectionem, dimisso paulatim exercitu, ad comitia Augustana, pro religionis, pacis publicæ, nec non aliorum Imperij negotiorum sicuti dictum est, tractatione.

Ad hunc Cæsaris ex Saxoniâ discessum, omnis sese periculi expertes judicabant: Et in eâ confusione animorumq; distractione non putabant fore, ut cujusquam armis oppugnarentur, exhaustis præfertim priore bello privatis & publicis Imperij facultatibus.

Parebat his agrestium vicina multitudo summâ propensione vel admiratione novæ mutationis, vel obmittius imperium, aut quòd leviter arbitrarentur melius degi sub fortibus viris quàm sacerdotibus, à quibus etiam in religione dissentirent.

Accidit, sicuti sæpe fit, ut ex alterius malo vicino major calamitas accedat, ut Georgius Megapolenf. admodum juvenis adhuc, & antè dux quàm miles, non adeò justum peditum exercitum Brunsvigâ, ubi Henrico in urbis obsidione operam navaret,

Georgius  
Dux Megapolenf.

varet, in ipsorum fines non solum proscriptio-  
 re populabundus duceret, verum etiam allectus, u-  
 ti ferebantur, Canonicorum pollicitationibus, qui  
 ad dubiam fortunæ aleam eò facilius permoverunt  
 principem, quod quereretur se non pari patrimo-  
 nio provinciæ Megapolensis cum fratribus frui, ob  
 id amplioris Ducatus armis parandi necessaria ra-  
 tione duceretur. Senatus enim Canonicorum,  
 oppidorum nonnullorum possessionem & collatio-  
 nem perpetuam sponderat, si Magdeburgensi-  
 bus, ex edicto Cæsaris omnibus proposito, pro re-  
 stitutione bellum faceret.

Canonico-  
 rum suasu  
 contra  
 Magdebur-  
 genses mi-  
 litat

Ad ejus adventus famam ignobilia oppida villesq; nequa-  
 quã munitæ deditioem facere facile coactæ fuerunt. Agrestes  
 verd ut fidem suam Magdeburgensibus ostentarent, obstinatione  
 potius, quàm fortitudine animi sua reliquentes inq; fata prope-  
 rantes, urbem tumultuariè ingressi, nihil tam flagitarunt,  
 quàm ut conjunctis civium & militum copijs ad confligendum  
 cum hostili exercitu, imperio & auspicijs Magistratum educeren-  
 tur.

Rustici  
 quærent re-  
 fugium a-  
 pud Magde-  
 burgenses

Quamvis verd militiæ periti & magistratus ipsi hanc te-  
 meritatem summè detestarentur, vetarentquè, ne armorum ex-  
 pertes & per temulentiam potius, quàm animi fortitudinem  
 clades multorum minitantes, contra veteranos, qui & callidi-  
 tate & fortibus dextris vincere didicissent, progredierentur:  
 Tamen sani magistratus tum minus valuit autoritas, quàm fu-  
 riosè tumultuantium fremitus & vociferatio.

Qua ratione erumpentes ad Cœnobium duobus illinc di-  
 stans miliaribus, hostilem exercitum aggressi sunt. Cumq; una ex  
 parte & acri principio achimnis tormentisq; egregiè sese  
 munivissent, rati eodem fervore, eademquè ratione hostes à fron-  
 tepugnatos. : Dux Megapolensis conversâ suâ acie, in ter-

strages car-  
 rucariæ  
 munitio-  
 nis ad Hil-  
 lersleben

Dies Mau-  
ritii urbi  
fatalis

Joachim<sup>9</sup>  
Electo Sa-  
xonie dif-  
suadet Me-  
golobur-  
genſi ocu-  
daciū

ga hostium cum summo impetu, ostenso à principio progressionē tantum signo, irruit, ex qua parte nihil, quod eum remoraretur, erat, ita, eos longe lateq; cecidit, ut agrestes ad unum fere omnes cum civibus immaniter trucidarentur, milites autem captivi servarentur potireturq; tormentis omnibus cum impedimentis reliquis. Eo die, qui divo Mauritio sacer erat, insigni victoria laetaretur.

JOACHIMUS autem cum primum accepisset, Georgium adventare, metuens juveni consanguineo, ne sese & copias pessundaret, jam hoc agebat, ut per legatos, quos profectio designarat, eum à proposito hostilis invasionis dehortaretur, ne ex infelici pugna ob vicinitatem ipse quoq; incommodum pateretur, cū rem gravem fore æsumaret, irritare Magdeburgenses, obſidione vero cingere, antequā ipsorum animi frangerentur, impossibilem.

Ea vero accepta clades uti insperata non solum urbi magnum attulit terrorem, & privatis calamitatem singularem, maritos, fratres & cognatos nonnullis deplorantibus. Verum etiam ad tantas consilij redegit angustias, ut multorum opinione ad faciles condiciones cogi potuissent Magdeburgenses, si hostilis & victor exercitus sese propius ostentasset. Sed hunc pavorem ad acceptæ cladis nuncium populosæ urbi, non tribuebat Dux juvenis, & tunc quidem ad adipiscendum militiæ decus satis sibi putabat frui ea victoria, quā sibi impetu & animi ardore de miseris agrestibus paraverat.

Ea laude victoria cumulatū Georgius statim ad Mauritium Saxonem, tanquam ad præpotentem validumq; Imperij Electorem, cujusq; autoritas in bellicis rebus præcipua erat, convolvit, cui currus machinis oneratos, quibus, in præliis, uti tunc moris erat, in ea pugna acquisitos, dono dedit fuitque hortator sedulus, à sacerdotibus & fortunæ successu instigatus, ut cœptum bellum sua autoritate prosequeretur, & ad præclaræ victoriæ felix omen petulantia de victorū contūderet.

M A U R I T I U S, cujus animus cupiditate gloriæ aestuabat, nequaquam negligendam hanc victoriæ occasionem ratus bellum parat, communicata re cum Electore Brandenburgico, cujus fines aliquoties invaserant Magdeburgenses.

Erant multa, quæ JOACHIMUM tenebant suspensum, ut

puta

puta, qui nihil temere, quod grave esset, decernere solet. Ea omnia cum non aliena fuerint, a sententia cuiusdam præstantis viri, qui nomine provincialium inferioris Saxonie ad consultationem de obsidenda urbe Jutrobocium venerat, hanc paucis referre lubet, quæ ob id minus ingrata reliquis fuit, quod & virtus ejus celebrata satis nec nulla per imperium suo loco autoritas apud multos extitit. Is decenti gravitate in confesso comiter assurgens, Convenimus, inquit, nunc consultatum de re majori, quam nobis hoc tempore fortasse videatur, præsertim cum jam spretis aut dissimulatis difficultatibus omnibus vestris suffragiis ad suscipiendum bellum secure conclamatum sit, ob idq; sciam, me & frustra niti, nec mea sententia vestram mutari posse. Imo indignationem & invidiam vestram ex mea refragatione metuerem, nisi scirem pro vestra æquitate in libero senatu liberam vocem benigne mihi concedi, nec horum maxime interesset, quorum nomine nunc verba facere debeam, qui mihi mandarunt, ut singulorum & universorum nomine dicerem, quod omnibus honestum, utile, minq; vero difficile foret, id quod brevissimè faciam, si me admonentem, non tanquam contradicentem (video n. vestris jam latis sententijs me superatum esse) audietis. Etsi verò non dissimulo, vos & pericula bellica, quæ vos movere deberet, & difficultates omnes, quas secum trahit hoc malū præter cognitionem historiarum, rerum usū & rationis opinionem, ex superioris & non adeò sopiti belli clade intelligere & meminisse: Tamen quantum mala sit, Germaniam vix jam respirantem & amissum decus, nisi clementia victoris Cæsaris restitutum esset, deplorantem, eoq; languidè gaudentem, nondum per sese consentientem nec bene confirmatam, novo nec necessario bello iterum turbare & intestinis malis dilacerare, non puto omnes considerasse, & ex vobis nonnullos uti viros militares, quorum virtus in exercitijs bellicis maxime elucet, fervore iracundie, quæ ex accusatione vel causæ indignitate concepistis, scio vix adduci posse ut credant. Hæc vestra sententia tenacius vobis hærebit, quod ea, quæ de Magdeburgensibus proposita fuere (sicuti revera sunt) gravia, atrocia, & vindicanda jure videbuntur, nisi quis extremè amens aut minus recti judicij parci nocentissimis & delicta præmijs, honesta verò facta pœnis compensari.

Dissuade  
 à bello  
 Magdebu-  
 gico



aut rationi contradicere, quæ secus fieri suadet, omnino malit,  
 aut decreta autoritate Imperij de maleficijs, violatione pacis &  
 publici juris, turpiter abolere. Id verò non solum non est  
 mei propositi, nec me talem esse vobis cognitum confido, ve-  
 rum etiam, vester conspectus non ferret me legibus, decretis,  
 naturæ juri, aut discrimini honestorum aut secus factorum  
 contradicentem. Ideò si quis vestrum ex hac propositione mea  
 sinistram concepit sententiam, hanc mutet subito, ut æquius de re  
 proposita postea judicet. Non enim querimus inter nos, an Mag-  
 deburgenses multa & pœnâ digni sint (nam hæc, quæ commise-  
 runt, de eâ re condemnant & convincunt eos,) sed utrum bello  
 delendi, an aliâ ratione compescendi sint. Dicitis eos armis do-  
 mandos, postquam legibus & proscriptione coerceri nequeunt,  
 præsertim cum insolentiores quotidie facti, per desperationem  
 pœnæ aut veniæ, tentent atrociora contra vicinos. Non  
 esse autem ferendam petulantiam, quæ vicinos injurijs & in-  
 commodis afficiat & ad spretâ Majestatis dedecus maximè per-  
 tineat. Ego verò affirmo & Imperij decus & Imperato-  
 ris majestatem ferre nequaquam posse, ne coerceantur  
 Magdeburgenses: & ut ferrent, offensos tamen injuria vici-  
 nos illaturos ipsi bellum, aut de non lata sibi ope adversus vio-  
 lentos invasores conquesturos. Et ita movemini cause bo-  
 nitate ad asperiores sententiam, cum justitiæ consentaneum  
 sit, atrociter delinquentes puniri atrociter. Ad hæc confi-  
 dentia potentiæ vos proniores ad decernendum bellum facit. Id  
 enim totius Imperij sumptibus & auspicijs suscipietur.  
 Sed considerate quæso (ut à posteriori regrediar) quam  
 nunc enervatæ sint præcipuæ Germaniæ partes: perpetuis con-  
 tributionibus adversus vim Turcicam exhausta sunt civitatum  
 æraria, quarum in exponendis pecunijs ratio prior est: priva-  
 tæ collationes vix ad sustentationem privatam urbium suffici-  
 unt: Quicquid reliquum exigi & sub ære alieno contrahi po-  
 tuit, quod superiore bello vel ex confœderatione vel censu  
 ne hostili non fuit impensum, id multis Cæsaribus principum  
 opes



opes magna ex parte bellu aut extruendis munitionibus sunt consumptæ: Ant si bella cessant, tamen mutuâ diffidentiâ & insidiarum metu alendis militibus tribuuntur, qui ipsis ad casum aduersæ fortunæ præstod sunt. Hinc fit, ut ad intolerabiles ex-pilationes subditorum nihil tamen ipsis sit satis. Omitto, in con-ventibus publicis magnam consumi redituum partem. Agrestes verò & agricola, quibus onerum summa incumbit, non solùm nihil ad publicas collationes possunt, verùm vix retinent, quo se à difficultatibus corporis liberent. Nam his exactiones, servi-tutes & dominantium acerbitates pariter accrescunt.

Nobiles, quorum opera præcipua in bellis est, non solùm conferunt nihil, eamque immunitatem sibi arrogant, sed etiam postularis liberalibus & profusis stipendijs reliquos ordines exhauriunt.

Hec est potentia Germaniæ, ad nervos belli quod attinet. Nam etiamsi abundemus militibus, & hæc patria toti Europæ ex-ercitus suppeditet, multosq; domi & foris perpetuò impendat, tamen nulla est tam justa, honesta, necessaria & pia expeditio, in qua sine stipendijs, imò impudentissima flagitatione immodici æ-ris, non æstimata virtute militari, sed habendi cupiditate, mili-teretur. Cùm igitur fatendum sit, non geri bellum, nec pro Imperatore, aris, focis, jure, legibus, imò DEI ipsius glo-riâ, absque magna profusione stipendiorum: Ea vero à statibus Germaniæ, harumq; potissimum provinciarum, unciatim colligen-da sit: Non æstimemus potentiam nostram majorem, quàm per se est, & existimemus, ex hac ipsa potentia id, quod necessarium est, cùm opus est, difficilimè exigi posse. Non enim pariter impera-tis obedimus, sed quilibet effugiendi aut differendi causam quæ-rit, nec sua privata dilatione impediri causam publicam putat. Inde fit, ut cessantibus multis plus officiatu Reipublicæ, quàm paucorum obsequijs ei consulatur. Imo potentiores agrè ferre su-perioris imperium, & ambire libertatem, qua sunt immunnes, uni-versus constat. Inferiores verò, qui vel lubentes imperata faciunt

F 3

vel ob eorum tenuitatem facile ad officium reducuntur, et si conferunt, tamen id ad nihil sufficit, & ipsi nihilominus, quoad publicas & privatas facultates, pauperiores & infirmiores sunt. Ob hanc inaequalitatem & spreti imperii licentiam etiam felicissimi conatus nomine Romanae reipublicae suscepti saepe aut plane sunt irriti, aut opinione difficiliore. Si verò his accumulatis difficultatibus, Germaniae aliquid superest, quod certe erit per exiguum, id in intima patriae convertere, conflare bellum exitiale celeberrimae urbi, id mihi quidem amanti patriae crudele satis videtur, & non absimile ei, qui membro sui corporis acrem vim infert unde corpus ipsum paulatim afficiatur & reddatur ad sui ipsius inter necionem debilius, praesertim si habeat alios, qui ei insidientur, quorumq; impetus aegre ferre possit. Nam cum Turcis, etiam maxime quieti, bellum habebimus perpetuum, qui et si Dei beneficio nobis nondum sunt contigui, tamen ut nostris vicinis tuentibus pro nobis confinia & milite & pecunia perpetuam feramus opem profecto necesse est, nisi neglectis ipsis velimus intueri potius nostras coram quam audire aliorum calamitates.

A Septentrione si quando barbarica vis, uti saepe antea accidit, sese commovebit, an certiore cladem aliunde expectare possumus? Nec huic satis erunt Reges maritimi, qui quidem nunc nobiscum sentiunt, quod se vel nos tueri ipsis difficile erit. Taceo fieri posse, ut illi ipsi aliquando quavis de causa à nobis dissentiant: cum nec Regum nec cuiusquam potentis vicini amicitia tam sit perpetua, quin non infinitis modis mutetur vel fiat imbecillior. Reliquas provincias omnes, quae Christiano parent imperio quibus circumsepti sumus, qui non certo sibi persuadet ex causa mutatae Religionis, nobis non multas aliquando illaturas clades, sive conjunctim hoc fiat, sive unius solius potentia, is quidem decipitur, & vanam persuasionem ad posteros transmittit. Nihil enim minus patitur concordiam quam disparitas Religionis: Et nihil ita exacuit, alit & exasperat odium mutuum quam haec eadem. Quam terribilis vero dissentientium à nobis eo nomine sit potentia, non facile dixerim

rim

rim. & sola Hispanica victoria me admonet, ut statuam nos non esse invictos, imò prostratos planè, nisi victoris clementia & amor patriæ nos penetibus servassent.

Ad hanc imbecillitatem nostram, quam gloriose vel dissimulamus vel non intelligimus, si accedet discordia in viscera nostra paulatim serpens, non aliter ac si scorpio irritatus proprio veneno sese enecat, quid erit de nobis reliqui, quam ut nos his, quos dixi, hostibus ultro feriendos prosternamus, & nostro dissidio concidamus. Debellare ergo & exhaurire privati bellis patriam ex mutuis cladibus fatiscentem, profectò insipientis est. At dicet aliquis, qui bellum malit, ineptè conferri potentiam Romani Imperij ad unius oppidi oppugnationem, quasi nec ea opus sit, nec omnes nervos intendendos. Vos verò non existimate, etsi vel oppidi vel urbis unius oppugnationem institueris, leve bellum habituros. Cum enim animadvertent, Magdeburgenses, nihil sibi, ad consequendam veniam reliquum esse petiq; capita sua, profectò pro aris & focis, pro liberis & conjugibus, deniq; pro ipsa gloria Dei Christi, quam singulari Zelo, colere omnibus videri volunt, fortius pugnabunt, quam nos hic existimemus, subibunt pericula majora, quam credimus nunc. Urbem habent late patentem, munitam, nullo commeatus genere non instructam, militem ferocem, & gloriæ avidum, & quod cum alacriorem ad subeunda pericula efficit, persuasione religiosi belli fascinatam, cives obsequentes & nemine admonente officium facientes, singulari naturæ robore ad labores militares & perferenda incommoda idoneos, frugales, qui facile delectus ciborum negligant, mediocriter opulentos, paratissimos ad conflictus, & privatam bonorum collationem, fidos inter sese, consentientes, unanimiter Religionem & decus patriæ respicientes, pro quibus jam dudum sua corpora, si ita casus ferat, devoverunt. Ad hæc non uno inclusi sunt muro. Nam qui Magdeburgensibus favent quique pro ipsis pugnare volunt, reperient in foris: ita ut obsessi se fortiter defendere volent, reliqui obsessis opem ferant.

Talis

Talis urbs cum sit, sicuti revera est, prudenter ne agemus, de ea expugnanda nunc contendere? an vos, qui partim coloni estis, partim socij, quiq; eidem Domino, Archiepiscopo videlicet, paretis, prudenter interestis his deliberationibus perdendae Metropolis? Ex qua sola agri vestri domusq; salvae esse possunt, si amicitiam ejus colitis: ex qua tota provincia conservari & amissa recuperari potest: ex qua demum conservatio dignitatis ejus Principis, qui jura imperandi habet, dependet: Ea Dominum tueri non verò à Domino defendi potest.

Dicite ergò, vos omnes compello, prudenter ne agetis, si exacerbatis nunc animis propter paucorum Sacerdotum eorumq; senum cupiditatem & vindictae ardorem immodicum, adducetis in discrimen hanc urbem à Romanis Imperatoribus nobilitatam & florentem redditam, & hactenus privatis legibus & justis constitutionibus ornatam servatamq;, nunc verò ex communi politica Ecclesiastica mutatione degenerantem, quae res ab exemplo magis quam assumpta injusticia proficiscitur.

Quodnam judicium hoc praejudicio de vobis transmittetis ad posteros, & vestros, & adversariorum? Annon relinquetur de vobis opinio, vos invidisse potius hujus urbis potentiae, propter laesionem exiguam, ab exemplo manantem, ut ea debilitata vos tutius laederetis, & convulso tam forti membro, corpus magis afficeretis, quam justa usus vindicta.

Altero etiam, quod me alienum ab hac decreta oppugnatione facit, minus moveor, quod cogito, Multa in bellis etiam justissimis, quale hoc esse posset, & hoc gravioribus, accidere praeter expectationem. Nani universaliter nostris consiliis non semper respondent eventus, cum alterum à Deo, alterum à nobis pendeat: Et fateri cogimini, simile nobis nunc quoq; accidere posse. Si ergo evenerit nobis casus tristior (quem tamen Deus avertat) ita ut vel instituta obsidio aliqua ratione invitis nobis, vel non confecta re, solvenda sit, quod ex enumeratis difficultatibus fieri posset, vel si eruptione facta trucidarentur nostri, vel per auxiliares copias fieret impressio, vel

revo-

revocarentur nostri milites, vel ex cessatione stipendiorum vertentur ad seditionem, aut minus officium rectè facerent quæ omnia profecto non sunt impossibilia, imò, quia jam de his omnibus cavendis deliberastis, impendere nobis videntur, an non nobis, qui sumus vicini, & etiam remotioribus de vastatione nostrarum provinciarum certò statuendum est: An exacerbati nostris decretis fortunæ cujusquam sint parsuri.

Ego quidem tam meticulosus non sum, ut existimem id malum jam nobis præcipuè impendere. Nam & distantia & itinerum ad expeditionem ducendam difficultas præter reliqua mihi in mentem venit: Ad hæc non essent fortassis fortium virorum animi & conatus ad defensionem defuturi. Sed tunc majori potentia imminet periculum, à quale debilitari sentient, nec deerunt, qui vel causæ bonitate sperat, cæco impetu sequetur fortunæ motus, & plus confident, injusta vastatione, quam honesta pacis & legum conservatione. Nam ubi desperatis de venia consequenda extremo conatu pugnandum est, ibi furor plus potest quam moderatio. Desperati enim cæci præcipitant se in pericula, & tamen interdum casu fit, ut incolumes evadant & maxime noceant alijs. Et ad hanc vel maxime turbidam pertinaciam commovebuntur magis, quod mala nostra & difficultates, quæ nobis incumbunt, ut universis nota, non ignorant. Sciunt ex infelici successu nos tam frangi animo & viribus, quam sese.

Dessem adducere alia, quæ me considerantem haud turbant parum: Sed ne vos diutius detineam, autoritas vestra modestè admonet. Etsi vero scio, me non posse mutare decretum vestrum, in quod suffragijs pluribus ivistis, ut scilicet bellum fiat, (nimis enim arrogans essem, si hoc mihi tribuerem) Tamen in hac publicâ deliberatione meam sententiam liberè dixi, quæ si non obtinebit, satis mihi erit, rectè, ut spero, sensisse, & consilia pacis, quæ minus periculi habent, amplexum esse. Nam mihi & pietati Christianæ conveniens videretur, & maxime honestum

nestum, ante belli, quod decrevistis, denunciationem severè admonere Magdeburgenses officij, & tentare, qua ratione Cæsari reconciliari adhuc & multam pendere debeant, restituique Senatus Canonorum pristino juri & dignitati posset. Serviet autem huic actioni plurimum Electoris Brandenburgici, quem omnes scimus delectari magis pace quàm bello, benignitas, cujus etiam propter vicinitatem interest, ne quid tumultus excitetur. Quod si tum quoque benignam interpellationem superbè fastidient, severitati vestræ locus erit, & omnibus provisis difficultatibus experiendum, an obstinatè furentium animi Mauritiana virtute, qua maxime nitimur, quæquæ mihi pericla omnia minora facit, contundi & frangi possint, qui Brandenburgico postea adhortator erit, ut deposita bonitate patiatur se ipsorum pervicacia irritari. Et si quid in hac suffragatione à me propositum est, quod animos vestros, propter decreti impugnationem, commoverit, vel quod inconvenienter dictum putetis, id non affectibus (quibus in publicis rebus indulgere nequaquam soleo) sed amorì patriæ, quam intestino bello turbari nollem, tribuatis.

Erant omninò vera hæc, & propter hujus viri autoritatem præter civilem sapientiam & rerum usum magis in considerationem circumfidentium incurrebant: Non tamen valebant tantum, ut decretum planè mutaretur, sed tamen ad mitigationem rigoris descensum est, & mandatum huic, ut adhibito Ludovico Kunigstenio comite Stolbergensi proponerent Magdeburgensibus conditiones, quæ ex dignitate & re imperij essent, quibus citra belli periculum ad officium reducerentur, servata tamen multa Cæsari, quæ ad ipsorum obsequium clementia Imperatoris etiam leniri posset.

Quam-

Ludovicus  
Kunigstein  
Comes  
Stolberg

Quamvis verò Magdeburgenses paulò post  
 misso internuncio monstrarent animum à pace non  
 alienum, tamen, quæ proposuerant, erant ejusmo-  
 di, ut ab arbitris nec suaderentur nec recipi possent.  
 Itaq; ad obsidionem ea, quâ dictum est, occasione  
 post Megapolensis victoriam ventum est, quam  
 JOACHIMUS desperatione emendationis ne-  
 quaquam dissuasit, cum prius pacis amore & æsti-  
 matâ rei magnitudine eam solus remoraretur: Fuit  
 que primus cum MAURICIO, qui obsidendæ  
 urbi principium faceret, adhortatus Cæsarem, ne  
 quid intermitteret, quod ad vindicandum decus  
 Majestatis Imperatoriæ pertineret. Quâ obtestatio-  
 ne impetravit, ut summa rei Mauricio demandare-  
 tur. Cui adjunctus est Imperatoris vice Lazarus  
 Svvendius, tum quidē nomine militaris scientiæ &  
 prudentiæ civilis laudatissimus: Sed qui postea  
 ob fortiter defensas & receptas provincias, sub  
 CAROLO V. Ferdinando & Maximiliano Impe-  
 ratoribus ad generis nobilitatem celebratissimus  
 evasit, nec minore literarum elogio, rarissima ac-  
 cumulatione, decoratus. Quæ quales habuerit  
 difficultates, testantur monumenta ejus temporis.

Ad initium institutæ obsidionis JOHAN-  
 NES Brandenburgicus Tangermundam ad JOA-  
 CHIMUM venit dissuasurus conatus bellicos per  
 Megapolensem susceptos, non solùm Magdebur-  
 gensium favore, quibus auxilia secreto pollicitus fu-  
 erat, quosq; uti *viros fortes non facile vi compeisci*

Magdebur-  
 genes pa-  
 cis semper  
 cupientes

Joachimus  
 Elector  
 Brandebur-  
 gicus Mag-  
 deburgam  
 una obsi-  
 det.  
 Mauricius  
 Elector  
 Saxonie

Lazarus  
 Svvendius

Johannes  
 Branden-  
 burgensis  
 Marchio  
 dissuasor  
 obsidionis





ricius ab hæcibus ad suggillationem fidei: & estimationis admonitus, nulla ratione aliquid apud Imperatorem proficeret.

Cum enim præsens adesset exercitus, delectibus & diuturnitate obsidionis quotidie redditus melior & instructior, eoq; ad traducendum ex imperato facile uti posset, rebatur non negligendam occasionem, & rem Magdeburgensium nequaquam ad eorum excidium, sed ut aliquando aut arcem belli pro se ibi constitueret, aut fidos sibi in illâ socios haberet, ita moderate componebat, ut jam non hostes, sed confœderati viderentur.

Eam postulationem promissæ liberationis Hafsiæ Principis maluisset JOACHIMUS absq; armis institui, quam mota iterum Germania, vix à Saxonico & Magdeburgico bello respirante, novos excitare tumultus. Cum vero aliter fieri non posset, non refragatus est expeditioni, pro observantia promissorum & pactorum, quorum semper fuit, cum suo incommodo, tenacissimus, susceptæ.

Confectis vero Passaviæ ijs rebus, quæ tum postulabantur, & Germaniæ libertati necessariæ videbantur, Alberto Brandenburgico consanguineo hortator acerrimus fuit, ut dimisso exercitu, deponeret arma, quæ ille tum Germaniæ passim intendebat, cernens non fore stabilem hanc progressionem, ad multorum perniciem obscuro jure institutam. At nihil rectis monitionibus proficere, permisit eum fortunæ, quâ ipse sibi parabat, donec Mauritius è Panno-

Magdeburgenses fiunt Electori Saxoni-co confœderati

Joachimus Elector

Albertus Brandenburgicus

Mauritius

Ob Ducem fortiter militum & splendentem AFRICA

Mauricius  
e Panno-  
niâ redux

nia reversus grassantis Alberti conatus contunde-  
ret, & patriæ tranquillitatem restitueret, pacisque  
publicæ assertor esset. Ibi cum nihil certius even-  
turum appareret, quam ut attrito utrinq; selectissi-  
mo robore, mutuis cladibus sese essent confecturi,  
aut ad alterius secundam victoriam periculum in-  
vasionis reliquis præstò foret, tunc quidem de utri-  
usq; privatâ & universorum salute sollicitus, quan-  
tiscunq; potuit artibus, eos reconciliare, absq; pu-  
gnæ fortuna conatus est, Nam utriq; Duci idem fe-  
rè animi vigor, exacerbatio similis, æmulatio par,  
exercitus vires æquales, &, uti sibi persuasum ha-  
bebant, causæ non dissimiles.

Joachimus  
Electoꝝ vo-  
tis cadit

Sed omnes actiones apud inflammatos & ex vici-  
nia sibi excidium mutuum minitantes, acceleran-  
tesq; pugnam frustra tentatæ fuerunt, non alium  
fructum referente Joachimo, quam quod in tam  
incipiti periculo totius Germaniæ rectè & benè se-  
sisset, etiamsi eventus consilijs non respondisset.

Anceps  
belli even-  
tus

Nulla ergò interjecta mora vix conspectis si-  
gnis, utrinq; paribus animis & armis concursum  
est, & potius impetu ac furore, quam ratione pugna-  
tum. Fuitq; prælium atrox & anceps ac sanguine  
principum maximè cruentum, quale vix nostro tē-  
pore ullum aliud extitit simile. Ita verò secundis  
& adversis casibus fuit temperatum, ut interierit vi-  
ctor, victus autem dissoluto exercitu superstes ma-  
neret.

Augustus  
Saxo

Erant res Saxonicae in non ambiguo discrimi-  
ne ob Ducem fortiter amissum & absentiam AU-  
GUSTI

O R A T I O 53

GUSTI fratris, qui cum socero Rege Christiano in Dania commorabatur, superstitie Alberto, qui dissipatas copias ubiq; recolligebat. At Joachimus non expectato adventu Augusti provincialibus amicam suam operam & quicquid à se postularent, quod ad tutandos fines & incolumitatem provinciae & absentis Principis pertineret, benignè obtulit, ut hac promptitudine notum faceret, se magis causam belli, quam propinquitatem Alberti respicere, ac simul dolorem quem ex infelicitate Mauritiij fidissimi saepe gestarum rerum comitis & socij perceperat, testaretur. Vixit quoq; postea cum Augusto amanter, utroq; mutuis benevolentiae officijs certante.

A morte Mauricij rebus nondum confirmatis, cum multae apparerent animorum offensiones inter Principes, Joachimus fragilitatem intestinae pacis altius considerans suasor fuit, ut pacta, quae familijs Saxonicae, Brandeburgicae & Hassiacae peculiaria sunt, renovarentur, & ex majorum instituto jurisjurandi religione sancirentur. Horum capitula firmam mutuam benevolentiae amicitiam stabiliunt, & causas futurarum offensionum in his familijs, quae magnam Germaniae partem possident, praecidunt.

Pacta haereditaria familiarum Saxonicae Brandeburg Hassiacarum

Ea renovatio singulari celebritate Neoburgi frequentibus Principibus peracta est, pro AUGUSTO Saxone Udalrico Mordisio, pro Brandeburgico Eustachio Slibio, & pro Saxonice fratribus Francisco Burckhardo, haud dubie ejus temporis praestantissimis Oratoribus, verba graviter & ornate

Neoburgensis conventus

te



re facientibus, sed qui omnes Joachimo non invitati cessissent. De quibus cum incidisset, non rara mentio, ipse (uti semper solebat esse gravis aestimator virtutis in omnibus) tale ferebat iudicium, ut primo suavitatem, copiam & elegantiam in oratione tribueret, de suo parcius loqueretur, quem aiebat ex institutione sui parentis Electoris evasisse Oratorem: In tertio gravitatem potissimum eminare iudicaret.

Pacata à profligatione Alberti Germania, Romanis Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando nulla in re, quæ ad ipsorum decus dignitatemque imperij pertineret, unquam defuit, quin & in Comitibus publicis coram præstaret ea, nullâ sumptuum habitâ aut ætatis ratione, quæ ab obsequentissimo Principe requiri possent.

Munia sua tam obibat sedulò pariter & graviter, ut decoris observantissimus, & eorum, quæ præmanibus habebat, studiosissimus diceretur.

Eo tempore Carolus V. Cæsar non tam ætatis, quàm victoriarum, pondere gravatus, laudabili abstinentia, Imperij habenas Ferdinando fratri jamdudum designato successori Francofordiæ Mœni per legatos resignavit & tradidit, cum ipse in Hispaniâ, abdicatis gubernationis muneribus, negligeret humanarum, rerum suavitatem & regnorum suorum fastigium, ex præsentis communi mortalium casu inevitabilis fati necessitatem prævidens, odio rerum humanarum & pertæsus varietatis ipsarum, ad divinas ab illis conversus, felicitatem sempiternam,

nam, ad quam se propius indies accedere sentiebat intentius considerabat.

Ad hanc resignationis & novi Cæsaris renunciationis solennitatem Joachimus officij causa accessit, quæ quidem ideo major & admirabilior visa est, quod Carolus, qui gentium victor & terror fuerat, & victorijs ac incognitarum antea provinciarum, & regnorum amplitudine, maximos Monarchas & primos Imperatores, à potentia præcipuè celebratos, superabat, admiranda animi magnanimitate se his omnibus majorem esse, contemtu eorum testaretur, & nulli nisi Imperatorijs virtutibus sibi simili fratri Ferdinando Monarchiæ juræ cedere vellet.

Petijt ibidem & recepit Joachimus à Ferdinando insignia, quibus ex more beneficiarij juris conferuntur possessiones provinciarum Brandeburgicarum, non solum ut hac postulatione novum Cæsarem veneraretur, sed etiam ut parentis suffragiū, quo ante annos viginti octo Ferdinandus Romanorum Rex nuncupatus fuerat, & ad Imperium evehctus, suo obsequio confirmaret, & ratum haberet.

In eodem conventu de Religionis dissidio tollendo stabiliendâq; pace, quam Ferdinandus paulo ante saluberrimo consilio Augustæ eo nomine sanciverat & promulgarat, actum est, quam Joachimus propense adjuvit & promovit; Cœperant enim dissensiones Religionis eò progredi, ut non solum multifariæ Academiæ passim dissiderent,

Religionis  
dissidium  
tollendum

H multiq;

multiq; ad invidiam scripti libelli emanarent: Verum etiam principum animi levi motu ad discordiam acti pacis publicæ perturbationem moliri viderentur, cum multa non tam religionis amore quam prætextu & novarum rerum cupiditate, ad sugillationem aliorum, à nonnullis principibus susciperetur.

Id inde apparebat, quod cum exoptatæ mutationis finem assequi præstigijs suis non possent reiectis ijs, quorum conatus ad rem perficiendam, minus felices fuerant, animum postea ad alia consilia revocabant, unde pacis stabilitatem in levissimum datæ vel acceptæ occasionis casum mutari posse, verisimile erat.

Republica itaq; Christianorum novis ac diversis de religionis placitis per totam ferè Germaniam furiose tumultuantibus quales videri volunt, Theologis quibusdam, etiam ex ijs qui Lutheranae Doctrinae professionem receperant, fædè non tantum ad interitum certissimæ salutis, sed & non dubiam spem confusionis de religione Pontificijs datam, turbata, Ferdinandus Imperator cum cerneret minus fragilem esse constitutionem, de religione latam apud eos, quorum petulantia etiam severioribus decretis coherceri vix posset, simul etiam à Solimano omni induciarum & fidei lege soluto multis modis infestaretur, Germania Electoribus ad 13. Calend. Novembris, anno à partu virginis sexagesimo secundo, supra millesimum & quingentesimum, cōventum Francofordiam ad Mœnum per Moguntinum indixit, ut ibi non obscure de novi Regis Romani certiq; successoris electione ageretur, quam  
certo

certo veluti successionis jure Maximiliano filio, jam pridem Bohemici Regni diademate inaugurato, destinare videbatur. Nihil enim calamitosius Christiano orbi accidere posse apparebat, quam si Imperator jam Augusto senio & gravissimarum rerum curis confectus, inter non dubias Germanorum procerum, dira æmulatione ex mutuis veteribusq; offensionibus Religionisq; diversitate in intimis sensibus dissidentium contentiones, & ex longa quiete in immensum evecta Otthomannica arma à crudelissimis hostibus ex improvise in Christianos verterentur, incerta fatorum lege, non constituto Imperij successore, humanis rebus eximeretur.

Ad hunc conventum **J O A C H I M U S** Brandenburgicus Elector, ætate jam gravis & valetudine sæpe tentatus, cum in profectioe Henricum Brunsvicensem & Philippum Hassiæ, quos prædicabat inter omnes suæ ætatis principes sibi charos & in deliberationibus obsequentes fuisse, convenisset, accessit.

Adventantem Cæsar ipse cum Maximiliano filio, Moguntinensi, Trevirensi, (Nam Coloniensis aqua intercute detentus aberat) Palatino, & Saxonie Electoribus, Bavaro, Juliacensi, VVittebergenfi, Megapolitano, & duobus Hassiæ fratribus principibus, honoris causâ obviam extra urbis muros ad octo stadia profectus humaniter excepit, eiq; gratias benignè egit, quod nulla in elementis cæli & incertæ valetudinis ratione habitâ, pro Romani Imperij

Joachimō  
ad conven-  
tum Electo-  
rum profec-  
tus

gratiosè  
excipitur,

dignitate & publicâ salute, additâ incolumitatis gratulatione, advenisset.

Ad hæc Joachimus reverentiore vultu hanc honoris exhibitionem humanitati clementiæq; Cæsaris ac benevolentix reliquorum Principum tribuens, dixit: Nihil sibi unquam antiquius fuisse salute rerum publicarum, Imperij, ac ipsius Cæsaris observantiâ, quàm se suo adventu officiose nunc testari voluisse, eò minus gravatè, quod crescentibus senij difficultatibus, in aliud tempus se absentix veniam liberaliter à suâ Majestate consecuturum speraret, nihilominus tamen se omni fide, amore & observantia in officio Cæsaris mansurum, operamque suam in peragendis Imperij rebus etiam absentem fideliter præstiturum.

enlibro  
tome be  
otol  
Albertus  
inMaximi-  
liani Coro-  
natione  
mortuus

Antequam tamen Francophurtum veniret, cum jam quatruidi itinere Berlino abesset, incidit in graves cogitationes, mutandæ profectiois, quod recordaretur proavum Albertum in electione Maximiliani I. Francofordiæ decessisse, parem vim ex hujus Maximiliani fati sibi prælagens.

Etsi vero superstitiosè nihil agebat, & intelligebat omnia mortalia divinitus Regi: Tamen se, quem concepta omina non sæpe scellissent, præscientiæ futurorum planè expertem esse nolebat.

Substitit itaq; diebus aliquot dubius, ac legatos in eventum, si omittenda profectio esset, præmisit, nec tamen comitatum dimitti volebat, donec admonitus, sibi ipsi persuaderet, publica totius Imperij negotia potiora esse suâ incolumitate, nec  
minus



minus decoram aut utilem sibi mortem fore in expeditione Imperij foris quàm domi in patriâ.

Confiliarius fidelis

Ad hanc profectiois persuasionem plurimum profuit sedulitas cujusdam senatoris gravis & prudentis, in cujus fide & vigilantia sapissime Joachimi res & curæ præ reliquis securè quieverant.

Is non tantum à filiis instigatus, qui magni momenti fore putabant ad publicarum rerum expeditionis parentis interventum, ut omni ratione conaretur accelerare profectioem ad comitia, verum etiam suâ sponte hortator erat, ne rem ad officij dignitatem pertinentem, conceptâ fati opinione, hoc tempore negligeret, quo omnium fere animi & oculi in ipsius suffragationem intenti essent: Vfus argumentis pro tempore non minus idoneis quàm necessarijs. Nec enim verebatur ad principis conservandum decus liberius interdum remotis alijs interpellare, cum, quod sciret Principem per sese non nimis alienum ab observantia decoris statim reflecti posse, tum, quod nulla ferè in re Joachimus succenseret ei, cujus fides & obsequium semper sibi fuissent perspecta: Et si quando ad indignationem eum commoverat, facile ignosceret, salubris consilij admonitionem, sibi factam, eiq; veniam dabat. Nam succumbentem interdum importunitati adulatorum, si causa religionem & decus respiceret, sua admonitione sæpe sine respectu offensæ servarat & liberarat.

Vigentibus inducijs Hungaricis, in quas Francofordiæ consensus fuerat, Ferdinandus pacis & tran-

tranquillitatis amantissimus, ætatis anno sexagesimo Viennæ Austriae 25. Julij, Divo Jacobo, quem Hispania omnis, cum Ferdinandus (uti Modinæ Castiliæ natus) infans fuerat, pro tutelari numine colit, & veneratur sacro decessit.

Hunc Joachimus verissimis lachrimis, observantia & amoris ergo luxit, & aliquot mensibus nunquam sermones de eo intermisit, hoc potissimum de ipsius obitu prædicans, quod eum metueret, fore pacis finem & bellorum initium.

Religionis  
causas pru-  
denter ad-  
ministra-  
bat.

De vitâ vero ipsius plurima semper graviter commemorabat, quæ ad splendorem imperatoriarum virtutum pertinebant: Eum toto sui imperij tempore, quod turbulentissimum fuisset, præcipuam Religionis curam semper habuisse: Violentos conatus Pontificis aliorumq; principum, qui Tyrannica oppressione Religionis dissidium e medio tollere, quam lenitate malo mederi cupiebant, consilio & autoritate repressisse: Libertatem Religionis certo tamen modo, publice imperiali constitutione fancivisse, Offensiones animorum, inter Germaniæ principes summo studio sustulisse: Pactorum fuisse adeo tenacem & gravem observatorem ut non solum præstiterit ipse promissa, verum etiam Maximiliano Filio proficiscenti in Hispaniam propriâ manu ad normam vitæ suarumq; actionum, præscripserit, ut sibi nihil prius duceret chariusq; haberet, quam fidem & propriam & parentum, observaretq; integrè promissiones factas, & vota eorum religiosè expleret. *Inane enim esse principis nomen si fides violetur, tam propria, quam maiorum suorum*

Dice

O R A T I O 81

Dicebat eum alienissimum fuisse ab omnibus vicijs præcipuè vero abhorruisse à libidinum confusione. Ideò eum castissimum dictum & habitum fuisse, & post amissam morte conjugem, etiam suspicione vacuum cælibatum gessisse : Cumq; aliquando vivente adhuc conjugem immoderati sumptus, què alendo gynæceo eoq; conducendo maximis itineribus faceret, dissimulata reprehensione admonitus fuisset, eum respondisse : *Magis convenire regi, castoq; principi satius esse, pro gynæteo conjugis regias expensas facere, quam vaga libidini parcus inservire.* Magnanimitatem Ferdinandi, quam promiscua liberalitate in omnes exercebat, commendabat non solum, sed eam *Imperatoris propriam esse* aiebat : Justitiæ cultum ipsi tribuebat perpetuum, quod in ea constans & firmus ad omnes casus sine rerum & personarum respectu semper fuisset. Quæ conscientia quidem fretus Ferdinandus ipse jam decumbens, & ex ægritudine imbecillior factus, cum filios præsentem ad concordia studio & justitiæ administrationem pro pietate paternâ adhortaretur, exultanti similis dixisse fertur : Se nunquam scienter cuiquam latâ sententiâ iniqui juris gravamen intulisse, quod sitale quid accidisset, id ex Senatorum suorum persuasione, factum esse, qui ipsum cum aggravatis specie juris & æqui deceperant.

Hæc & alia multa JOACHIMUS assidue domesticis, non sine vehementi deploratione tantæ Imperatoris, quem singulari officio semper veneratæ fuerat, enarrabat. Cum ipse vicissim à Ferdinando  
opti-

Ferdinandus Imper. Castissimus

Joachimus Elector Brandenburgensis

Ioachim<sup>9</sup>  
Optimus  
& pacific<sup>9</sup>  
Princeps

optimi & pacifici principis nomen adeptus esset, cujus autoritate & consilio filios suos, non secus ac verissimi parentis uti debere, post sua fata, paulo ante obitum censuit & voluit.

Sub Augu-  
sto Electo-  
re Saxonie  
motus

In recentissimis Germanie motibus, quos Saxoniae Elector AUGUSTUS, æmulatione fraternæ fortitudinis, feliciore tamen successu, sublati Alberti instigatoribus, qui non nisi ad principum excidium nati videbantur, repressit, etsi causa turbantium pacem iniquissima nec digna intercessione erat, tamen cum sapienter animo metiretur, quam *facile etiam ex justa repressione, si minus feliciter evaderet defensio, opinione maius oriri posset bellum, & turbari pax publica*, fuit sedulus adhortator, ut res absq; armis componeretur, ijs rationibus, per quas Imperatori & Germanie suae constaret honos, tranquillitas & dignitas; obtinissetq; haud dubiè sua autoritate leniorem vindictæ modum nisi illi se fatali pertinacia furentibus animis in extremum exitium coniecissent.

Ioachim<sup>9</sup>  
Electo  
Brandemb  
defungitur

Hic Germanie pacificator à civili bello & vindictæ severitate, quæ aut cruore, aut everfione fortunæ suprema constabat, alienissimus, factorum lege ita jubente nobis ereptus est, & non nobis tantum, qui hanc incolimus provinciam, sed mors ejus affert, calamitatem imperio & exteris. Cujus enim sapientia & moderatio multa gubernavit antea, ejus casus profecto rebus publicis, per sese periclitantibus, & ubiq; bello ardentibus, nunc omnibus fit acerbior.

Fuit

Ad subdi-  
torum &  
exterorū  
acerrimum  
dolorem  
Trahit in  
fata comi-  
tem Fratrem  
Iohannem

Fuit autem hic casus non solum, ut diximus, privato & publico nomine nobis & alijs acerbissimus: Sed alia infelicitas repente accessit, quā inflictum vulnus, antequam obligaretur, sævè recruduit. Nam parcarum iniquitas simul avocavit Johannem fratrem, in cuius consilio & fide Brandeburgicorum res in priorem casum, quiescere videbantur, qui si fuisset superstes, rebus perturbatis suā autoritate & sapientia succurrisset. Jure igitur succenseri nobis non poterit, si privatis affecti singuli incommodis, lugemus principem & parentem nostrum, à quo beneficijs innumeris affecti, à quo adversus vim omnem defensi & servati sumus, cum eum deplorent exteræ gentes, quem res Imperij vellent esse sospitem, servatum & incolumem.

An fieri potest, ut qui unquam hos fratres simul sine admiratione accumulatarum virtutum præcellentis convenientiæ, præter potentiam & corporis ornamenta verecundè intuitus sit, non moestus, & ad rei raritatem attonitus duo Heroum funera intra dies undecim contempletur, & Brandeburgicorum calamitatem deploret.

Compara-  
tio utrius-  
que virtu-  
tum

Fuit in utroq; multarum virtutum concursus à majorum & naturæ præstantia ipsis inditus, religiosæ nimirum pietatis in Deum, sapientiæ incomparabilis, justitiæ, raræ & admirandæ facundiæ, fortitudinis animi, gravitatis in rerum confectione comitatis in congressibus & alloquijs, in capiendis gravioribus consilijs nunquam præproperi, & in-

I

cauti

cauti fuerunt: Quamvis Joachimus Themistocleæ præstantiâ in electione subito propositarum rerum esset admirabilis.

Tanta fuit in ijs vis ingenij, & judicij dexteritas, ut, si quid in arduis negotijs mandarent, vel scribendum vel proponendum, quod observari & notari à ministris exactissime posset, nihil unquam excogitatum videretur decentius: Ita ut domestici majorem conficiendæ rei felicitatem in memoriâ mandatorum, quam in propria industria reponerēt.

Hæc omnia ipsis tam erant communia, ut ex hac paritate quilibet fraterni sanguinis conjunctionem facile deprehenderet. At Johannes ad parcio- rem frugalitatem, Joachimus vero ad profusam liberalitatem proclivior visus: Cum ille in inspectione & cura domesticarum rerum JOACHIMO magis sedulus esset, hic vero hac omnia veluti nequicquam ad decus principis necessaria negligeret: non quod ignoraret, quibus rationibus reddituum firmior & certior proventus haberi potuisset, vel etiam præfectorum avaritia coerceri, sed quod sese ipsum nosset, qui lenitate innata alienus esset à severa postulatione. Proinde judicabat sibi satius esse indulgenter sua petere, quam severis rationibus institutis statim ab his deflectere, & ad priorem animi benignitatem reverti, unde postea lati & facile remissi ordinis contemptio oriri posset.

Quod si hac in re natura pari temperamento circumspeditionem & remissio- rem curam utriq; largita

gita esset, profecto hos fratres haud dubiè ad perfectionem quandam perduxisset.

Illud etiam admirabile fuit in JOACHIMO, quod sapissime secreta impulsione, de maximis rebus, præcipuè de principum & domesticorum emigrationibus ex hac vitâ admoneretur, easq; præsciret, antequam ipsi nunciarentur: Quam in re præternaturalis in ipso vis fuisse putatur prætagâ mente comprehendens ea, quæ alij acie cogitationis assequi nequeunt.

Ioachimi  
divinationes

Non præmonitus rescivit mortem Philippi Cattorum Principis, qui ipsi tum laboranti studiose dissimulabatur, ne ex coætanei, quem plurimum semper amarat, &, ut dicebat ipse, tractabilem in negocijs repererat, fatis omen conciperet.

Philippus  
Cattorum  
tractabilis  
in negocijs

Ducis Prussiae consanguinei & Henrici Brunsvicensis evocationes ob præcedentia animi præfagia ad primum nuncium facilius credidit, quam rei novitate perterritus fuit.

Ioachimo  
decesit  
vis in arce  
Copenick.

Paulo plus abhinc sexennio, cum esset in arce Copnicensi, in qua vitam finivit, conturbatus est nonnihil incerti animi præfagio, quod cum explicare ilico non posset, iussit observare id temporis momentum, tanquam sibi aliquid portendens.

Rosembergi  
conjug

Id postea præcisè comperit fuisse horam emigrationis suæ filia, quæ Rosenbergio nobilissimorum ac opulentissimorum Bohemiae Procerum facile Principi nupta erat.

Friderici  
Saxonis  
imago

Quo tempore è vivis excessisset Fridericus Saxonius Elector cognomento sapiens, sæpe dicebat, nocte, cum cubaret Tangermunda, sibi apparuisse

isse speciem ejus venatorio indutam habitu & clausis oculis, ipso non dormiente nec quicquam hac visione territo, ad lectum cum annuisset capite, iterum recessisse: postridie verò allatum esse patri de obitu Friderici nuncium, quod ille judicavit se ex hac postremâ salutatione præscivisse.

Thermarū  
usus ali-  
quando  
noxius

Quatriduo ante obitum miserat medicum ad fratrem Johannem, quem audierat instituere usum thermarum, ad extenuationem humorum, & consolidationem aperti cruris, ut ipsi, quantum posset, eam medicandi rationem dissuaderet, enumeratis aliquot, quibus ea cura periculosa & exitialis fuisset. Simul etiam ei denunciaret, quod propter hanc ipsam abijciendarum thermarum persuasionem, & fraternæ benevolentiae causa, sequenti septimana vellet eum invisere, interim caveret omni diligentia, ne pateretur vulnus, quod natura ad projectionem humorum aperuisset, consolidari.

Ad hanc admonitionem languidius sananda fistulae, cum JOHANNES, nihil minus recuperet, quam perpetuam apertionem, etiam quæ cum certæ vitæ beneficio fieret, & subducendo cutis curam vel contradicentibus Chirurgis jam instituisset, non nihil attonitus fuit, comiterq; periculum extenuavit, ac gratias fratri egit, quod tam fraternè de sua valetudine sollicitus esset, seq; non neglecturum illam de thermarum periculo admonitionem, ac deliberatius cum Medicis consulturum.

Quod verò ad profectionem de se invisendo attineret, eam quidem esse ejusmodi, ut eam nihil gratius



gratius nunc accidat. Nec enim ex omnibus hospiti-  
bus fratre chariorem se habere aut videre posse : Non tamen velle se, ut, qui inter omnes Imperij Electores ætatis honore, quæ per se non esset sine multis valetudinis omeribus, gravaretur, hoc intensissimi frigoris tempore, vel ad minimam corporis incommoditatem ipsius nomine jaçtaretur, se potius neglecta tempestatis, viarum & minus firmæ valetudinis ratione, ad sequentem septimanam, ubi nam vellet Elector, cum conventurum, & commo-  
diore ad profectiorem tempore Custrinum ducturum. Quod si locum & tempus designare nunc non liberet, tum demum ambos post sacrum Epiphaniæ certò conventuros ac simul futuros. Et sic incertus dicti sibi fatalis diei legatum dimisit, qui antequam regrederetur, rescivit Electorem subito extinctum, quem Johannes quarto à festi die, uti responderat, secutus est, ignarus facti fortisq; futuræ. *Ita sepe fit, ut mortalium cupiditates a ratione & diversa ab ipsorum proposito, præter voluntatem & opinionem impleantur, & ad longè feliciores eventus non prævisarum rerum perducantur.*

Redierat eo die JOACHIMUS aliquanto tardius à venatione, ac hilari colloquio eoq; pio peregerat cœnam, nec alicujus malæ affectionis indicium habuerat, aut fecerat. Peracta cœna læt-  
bundus distribuit convivis, nec non alijs ministris recens percussæ monetæ aureæ grossos, cum nomi-

Præfagiū  
emortua-  
lis diei

nis & insignium inscriptione, quorum singuli portugalensium magnitudini respondebant, exercuitque tum supremam liberalitatem, quæ ipsi semper propria fuit & perpetua. Dimisit postea senatores convivas, eosq; summo mane redire iussit.

Passionis  
meditatio

Cum solus inter cubicularios esset, vel mentione colloquij, quod in cœna de multis gravibus rebus pie habuerat, vel nova cogitatione, orta à bono cordis motu, incidit in meditationem passionis filij Dei, tamq; anxie acerbiter mortis ipsius consideravit simul & scrutatus est, ut simulachrum tunc aut præmonstratum aut animo conceptum pingi ob oculos sibi vellet. Cumq; pictor, qui in oppidulo ad incertum hospitem diverterat, hora noctis prima, in præaltis nivibus, negligentia famulorum, minus curiosè vocaretur, ipse Elector petito cretæ frusto, in tapete imaginem ejus & scitè depinxit, & inter meditandum cubitum ivit.

Mortis re-  
pentina

Non diu admodum cubans paucissimis verbis doloris vehementiam declaraturus exclamavit, quæ tam subito, & antequam ipsi succurri posset, aucta est, ut uno velut momento, vel ex cordis resolutione, vel nervorum obstructione, sine morbi præensione interiret, & mortis signa ægritudinis indicij priora essent.

Causa: &  
de causis  
conjectura

Hujus improvisæ & immedicabilis vehementiæ causam referunt nonnulli ad intempestivi hauftus vim: Alij, quod verisimilius est, ad suffocationem ortam ex obstructa fistula, quam in sinistro  
crure

crure habebat, unde saniosi humores ad præcor-  
dia rejecti, corpus repletum subito affecerant, aut  
aliud morbum lethalem concitarant. Ex infelici  
enim curatione Erysipelatis nata ipsi erat in crure  
fistula, quam ad producendam saniem nullo fere  
anni tempore accuratius servabat, quam brumali,  
ne externo frigore fieret humoris destillantis reper-  
cussio. At tum fatali fortassis casu contemne-  
bat intensissimi frigoris tempestatumq; difficulta-  
tes & injurias, ut, quæ juvenibus intolerabiles es-  
sent, ipse juvenili alacritate tum perferret.

Johannes etiam cum nunciata morte fra-  
tris ex morbi incrementis sentiret sibi augeri peri-  
culum, patienter toleravit dolores, & omnium  
rerum deposita cura summâ cum animi tranquil-  
litate & firmâ cum fiduciâ reconciliationis per  
filium Dei excepit casum non improvisi fati, quem  
paulo ante nescius quasi sibi ipsi prædixerat.

Et si vero fieri vix potest, ut dolorem conce-  
ptum leniamus, tamen idè luctum moderemur,  
ne bonis principibus felicitatem beneficio divini  
numinis ipsis nunc attributam invidere videamur.  
Nihil enim acerbitatis per hanc à nobis secessio-  
nem ipsis accidit. Nec nos, qui Dei & horum  
principum clementi largitione in institutis  
cœlestis doctrinæ enutriti & eruditi sumus,  
dubitare debemus, eos, qui terrestri Imperij confor-  
tes erant, nunc Divorum societati ascriptos frui  
non

Iohannis  
à nunci  
auditu  
mors

Monumen-  
tum Con-  
solationis  
ex Gemini  
Principis  
abitu, obi-  
tu

non terrena, sed perpetua beatitudine, & coram  
intueri DEUM CHRISTUM, quem hic pro-  
fitebantur & amplexierant, eos intelligere, nunc  
penitus doctrinam de miranda & æterna politia cæ-  
lestis imperij, quam hic propter imbecillitatem no-  
stram mente comprehendere non possumus, imo  
vix intelligimus, nequaquam vero nobis persuade-  
re possumus, nisi testimonijs & perspicuitate sacro-  
sanctorum scriptorum confirmaremur.

Effectus  
subitanei  
casus

Si quis ergo nos atras indutos vestes intueatur,  
si mœstos contempletur vultus, si gemitus, si an-  
gusti pectoris suspiria, si lachrimas veri doloris in-  
dices admiretur: Is sciat nos nequaquam horum  
fratrum consilio, autoritate & sapientia præcullen-  
tium subita & improvita amissione levem sentire  
calamitatem, protendiq; haud dubiè hac avoca-  
tione certissimum malum publicis Germaniæ rebus  
quæ per sese inclinatae undiq; ruinam universis gravi  
casu minitantur.

Electio  
IV. Impe-  
ratorum

XXVI. Ele-  
ctorum

Dies & An-  
nus mortis

Vixit Joachimus supra climactericum magnū  
annos tres, solis sex exceptis diebus. Quo tem-  
pore quatuor vidit & coluit Imperatores, splendo-  
re rerum gestarum præstantissimos: Electoratus  
autem vicies sexies electione & successione muta-  
tos meminit.

Ipse suis, à morte patris anno 1535. mensis Ju-  
lij undecimo die defuncti, præfuit annos 35. septi-  
manas 25. mortuus Januarij tertio die, Anni 1571.

Cumq; putaret multum ad provinciæ præfidi-  
um

um

um referre, vicinorum benevolentiam matrimonij  
vinculis & novis necessitudinibus confirmare &  
stabilire præter superiores illas, quas exteris eloca-  
vit, duas vicinis nuptui dedit, alteram Luneburgen-  
si Duci intempeſtiva morte pauciſſimis, poſt nu-  
ptias menſibus extincto, alteram Julio Duci Brunſvi-  
cenſi, qui moderatæ gubernationi, poſt patris ob-  
itum veræ receptæq; religionis profeſſionem, non  
ſine ingenti ſubditorum gratulatione & læticia pio  
& generoſo animo addidit.

Julius Dux  
Brunſvi-  
cenſis

Nunc vero exuvias, quas ille, anima in cœlum  
ad divinorum animorum cōcilium coetumq; emiſ-  
ſa, nobis reliquit, pro obſervantia & amore debito,  
reverenter recondamus, ut ibi in memoriam opti-  
mi Principis religioſe ſerventur, donec ad reſurre-  
ctionem univerſæ carniſa lætâ animulâ repetantur,  
ſeq; ſiſtat tum ille idem Elector, quem vivum vidi-  
mus & obſervavimus, ad ſocietatem cœleſtis poli-  
tiæ, cujus nos omnes participes fore credimus, &  
ex immenſa DEI miſericordia certo nobis pollice-  
mur.

Invitatio  
ad Sepul-  
turam

Quieſce ergo, JOACHIME, corpore in mo-  
numento majorum tuorum, ad cantum cœleſtis  
tubæ, cujus efficacia congregabit in conſpectu Dei  
vivos pariter & mortuos: Nobis vero ſepultura tua &  
monumentum, non erunt hi lapides aut marmora,  
nec erecta trophæa, ſed benignitatis, clementiæ &  
præclarè factorum memoria.

Pro lenienda vero aliqua ex parte moeſticia, id  
vobis ſignificandum duxi: DEI immortalis pro-

Novæ Con-  
ſolationis  
munimen-  
tum

K

videntia,

videntia, quæ migrationem Joachimo statuit, nobis contigisse, quod hominibus rarissimè fieri solet, ut simul dolore & gaudio afficeremur: dolore quod bono privati sumus principe: gaudio, quod mox bonum habuimus heredem priori similem.

Sit ergo nobis solatio, quod de defuncto Electore, præsentem filio, successore designato, & præsentem, insuper hujus etiam filio futuro, tandem & ipso, ex DEI beneficio, successore dicere licuit: quorum quidem tanta non sperata solum, sed florens virtus est; ut alterum Majorem hac amplitudine Imperij verè judicemus; alterum in ea felicitate animi & fortunæ positum, ut quod de Hierone dicebatur, nihil nisi regnum ipsi deesse videatur. In quibus imaginem non solum Patris & Avi, sed & fortissimorum majorum cernimus.

Ut autem DEUS optimus Maximus conditor & conservator politici ordinis, in cujus manu Regum corda sunt, hos principes, veluti sobolem præstantissimorum Heroum, ad felicem gubernationem, defensionem, & propagationem Cœlestis doctrinæ, conservationem disciplinæ, pacis, tranquillitatis, & aliorum commodorum largitionem, quibus principum & subditorum salus nititur, salvos, incolumes & fortunatos servet, additâ numerosâ prole parentibus similitinâ, in certum & stabile solatium, ad exiguum sane numerum redactæ stirpis, nos pro debito subjectionis & amoris officio, celsitudinibus ipsorum veris votis optemus, & à benignitate DEI præcemur, simul etiam nos nostraq;

straq; omnia clementiæ protectioni & favori ipso-  
rum commendemus.

Quod reliquum est, peto, ut, si mea oratione  
vobis non satis feci ( sicuti magnitudinem rei &  
meam tenuitatem rectè metior & agnosco ) indul-  
geatis dolori, quem publico & privato nomine ex  
hujus Principis & Parentis nostri obitu percepi, ut-  
que candor vester & benevolentia erga me, hunc  
conatum memoriæ Electoris benignissimi officio-  
se præstitum superet.

### Benevol. Lector:

Muscerdam Sphalmatum Typotheticorum Orationis hujus  
papaveri & sesamo interspersam faventer eliminabis, quæ nobis  
in revisione quidem occurrit & si quæ tibi copiosior obvenerit:


fac. 7. in marginal. Achilles. fac. 8. lin. 3. haud dubie lin. 6. late  
fac. 25. lin. 24. susceptæ, fac. 30. lin. 19. susciperet. fac. 39. lin. antepe-  
nult, acri principio machinis. fac. 40. lin. 30. & ad præclaræ. & in  
marginal. dissuadet Megaloburgensi audaciam. fac. 41. lin. 19. Video  
enim. lin. 24. quantum malum. fac. 45. lin. 20. Urbem habent. fac.  
47. lin. 13. a. qua se debilitari. lin. 13. lin. 5. elegantiam. Ita Have.  
& fave, idem precatus


SIT BRANDBURGIACVM TER-FELIX MARCHI-  
ONVM STIRPS.

F I N I S.









Nr 554.

f

ULB Halle 3  
003 077 810




Sb.

W 17

no.







B.I.G.

Farbkarte #13

E P L U M  
 N E R U Æ  
*Seu*  
**R A T I O**  
*Historiam Vita & Obitus*  
 I S S I M O R U M P R I N C I P U M  
**A C H I M I**  
 omani Imperij Electoris:  
 E T  
**H A N N I S:**  
**B R A N D E B U R G E N S I U M**  
 Fratrum, &c.  
*destinata Exsequijs*  
**E C T O R I S:**  
 lonia ad Spream VII. Kalend.  
 Februar.  
 N N O M. D. L X X I.  
*via, ritu Christiano, Sepultura*  
*traderentur.*  
*&*  
*acti Principis & Filij*  
**N N I S - G E O R G I I**  
 Brandenburg. Electoris &c.  
 Confiliario  
**O R O M E I E M B U R G I O**  
*autore.*  
**A G D E B U R G I**  
 pensis J O H A N N I S F R A N C I  
 anno M. D C. X X I.